

ES THEOL.  
HSEI



Dies neque Ti

<sup>9.</sup>  
*Disputationes Theologicae*  
*De*  
SACRAMENTIS  
in genere, & in specie de Ba-  
ptismo & Eucharistia,

T R E S

*In Academia Hasso-Schaumburgica publica*  
*disquisitioni exposita,*

AUCTORE & PRÆSIDE

HENRICO MARTINO  
ECCARDO

SS. Theolog. Doctore & Professore  
Ordinario.



RINTELII, Typis Viduae Lucianae.  
c15 Io c LX.

VIRIS

*Plurimum Reverendis, Amplissimo, Excellentissimo, Clarissimis, Eximiis*

**Dn. Johanni Kotzibuen,**

Imperialis Coenobii Lockumensis

Abbati,

**Dn. Antonio Turnajo, Priori &**

Pastori,

**Dn. M. Conrado Kleven,**

**Dn. M. Carolo Henrico Stiffern,**

**Dn. Christophoro Hardkenio,**

**Dn. Johanni Brinckmanno,**

*Omnibus & singulis Laudati Monasterii  
Conventualibus, &c.*

**Dominiis & Amicis suis carissimis ac plurimum  
honorandis,**

*s. d.*

**Henricus Martinus Eccardus D.**



UM superiore seculo Christiana Religio, VIRI plurimum Reverendi, à corruptelis & inventionibus humanis, quas partim avaritia & ambitio cleri cum primis verò Romani Pontificis, partim imperitorum hominum superstitio in Occidente hoc nostro invexerat, repurgaretur, tam celeres prosperosque habuit reformatio progressus ut puritas doctrinae (quam Bellarminus, cujus verbis Præfat. in controvers. fidei in Gymnasio Romano habit. *Pestem Lutheranam* criminatur) in Saxonia paulò antè exorta, mox Germaniam penè totam occupaverit; inde ad Aquilonem & Orientem profecta, Daniam, Norvegiam, Sueciam, Gothiam, Pannoniam, Hungariam absumserit; tum ad Occidentem & Meridiem pari celeritate delata, & Galliam, Angliam, Scotiam, florentissima Regna brevi tempore populata, ad extremum Alpes transcenderit & in Italiam usque penetraverit. Ex his aliisque circumstantiis, etsi rectè colligitur, magnam

✿      ✿

hanc facrorum mutationem Deo omnino probari nec sine singulari Illius providentia eam evenisse, vafricies tamen diaboli & perversitas hominum effecit, ut tam necessarium atque divinum reformationis opus sine schismate eoque non uno redimi haut potuerit. Etenim protestantes non solum à Pontificiis verum etiam à se invicem tum fuerunt divisi, quæ schismata à tempore reformationis in hunc usque diem eheu! continuantur, quin indies augentur & incrementa sumunt. Vehementer autem dolendum est & nunquam satis deplorandum, de nullâ aliâ re hodie tot & tantas esse contentiones & controversias, quot & quantæ circa Eucharistiam agitantur, cum tamen eo nomine à Salvatore instituta sit, ut mutux caritatis vinculum & Christianæ Concordiæ ac Pacis tessera existeret. Nos verò miseri illud ipsum, quod in salutem nostram vergere debebat, in propriam perniciem vertimus & gladio, qui ad nostri defensionem datus erat, nos ipsos jugulamus.

Do.



Dolendum etiam hoc est, imò magis, quàm ver-  
bis exprimi potest, dolendum, neminem ferè ex  
Christianis pessimum hunc schismatis foetum  
animadvertere aut de mediis cogitare, quibus  
tam sævum tam triste incendium, quo orbis  
Christianus miserrimè conflagrat, extingui que-  
at. Taceo nunc rudem plebem, cujus fides cum  
simplex sit, ejusmodi peccato non videtur esse  
obnoxia. Illi hujus rei adeò sanctæ adeò neces-  
sariæ curam tenentur suscipere, qui christianum  
coetum regunt, certò regere debent; Episcopos  
intelligo, Doctores Ecclesiæ & Pastores, quos  
Spiritus S. ad pascendam Ecclesiam sanguine  
Christi acquisitam constituit. Quin etiam ad  
Christianos Principes, Reges rerumque Domi-  
nos idem negotium pertinet. Horum enim est,  
*Ecclesiasticos ministros & fidei duces, pio suasso,  
vehementiori impulsu, etiam sua vi coactione eò  
adigere, ut velint omninò pacem Ecclesiasticam  
in tot dissensionibus per necessariam mutuam to-  
lerantiam componere* (aut operam dare, ut dissi-





I. VII. de  
Republ.  
Eccles. c.  
XII. c.  
CXXXV.

dia, si prorsus tolli nequeant, saltem mitigentur)  
*prius tamen auditis verè pijs & moderati animi*  
*Doctoribus*, uti rectè iudicat Marcus Anton. de  
Domin. Horum itidem est, *θερμολυγες* & quos fa-  
ctionum studia ita transversos agunt, ut etiam  
ad ipsum unitatis Ecclesiæ & concordia nomen  
contremiscant, in ordinem redigere minimè que  
permittere, ut pacis & concordia Ecclesiastica  
studium per hos sufflaminetur. Scribit alicubi  
B. Georgius Calixtus Præceptor quondam me-  
us venerandus: *Nullis laboribus, nullis sumpti-*  
*bus ut ut diuturnis & magnis parcitur, ut qua-*  
*lisunque pax civilis reducatur. Cur verò tan-*  
*tumdem reducenda concordia ecclesiastica vel*  
*saltem minuendis dissidiis, quæ civilem pacem tu-*  
*tam esse vix permittunt, Christianismum defor-*  
*mant & ab eo accessuros deterrent, non impendi-*  
*tur?* Interea dum hoc intermittitur, tam diu  
scriptis res agenda est, & quidem tali moderati-  
one, quæ fidei fundamentali non adversetur, do-  
nec Deus afflictissimæ Ecclesiæ suæ misertus ei  
pacem





pacem concedat satanamque sub pedibus nostris conterat. Hac fini nos, qui in hac Academia SS. Theologiæ studiis operamur, omnem movemus lapidem, ut controversias ita tractemus, ne caritatis Christianæ obliviscamur aut fidei veritati aliquid detrahamus. Quod, uti in aliis, ita & in his ipsis, quas nunc vulgo, de Sacramentis Disputationibus, nisi valdè fallor, ego quoque observavi. Cur verò Vobis, Viri plurimum Reverendi, eas inscribam, causas habeo multas, quarum unam atque alteram nunc tantum exprimam: Cum enim impensè faveatis studiis & laboribus nostris Vestramque erga nos benevolentiam non uno specimine abundè declaraveritis, volui hîc publicè profiteri, quid meritis Vestris debeam, & quanti Vos faciam. Præterea quoniam magnam rerum Theologicarum peritiam multo labore Vobis comparastis, rectius poteritis judicare, num scopum, quem mihi propositum habeo, sim consecutus. Accedit, quòd alter Disputationis de Eucharistia  
Respon-

dens, Alumnus Vester, partem Vobis dedicaverit: Omnino itaque convenire Vobis existima-  
vi, ut sub Nominibus Vestris totum opusculum  
extaret. Vehementer autem Vos rogo, velitis  
carthaceum hoc munus Honori Vestro Strenæ  
loco à me officiosè consecratum benevolè ac-  
ceptare, idque non tam ex sui dignitate, quæ fe-  
rè nulla vel perexigua, quàm offerentis animo  
æstimare. **Deus Opt. Max. Vos Ec-  
clesiæ pariter ac Reipublicæ: pro  
utriusque enim salute excubias a-  
gitis, quàm diutissimè servet o-  
mnibusque bonis cœlitus perfun-  
dat ac beet.** Ex Academiâ Hasso-Schaum-  
burgicâ, quæ est RINTELII ad Visurgim,  
Prid. Kalend. Febr. **CLC IOC LX.**



## De Sacramentis in genere.

### THESIS I.



Sacramenta N. T. nunc exposituri omnium primò quid istoc nomine indigetetur paucis considerabimus. Initio autem notandum est, In S. literis non exprimi, quid verè & propriè sit Sacramentum, sed saltim à posteriore inde colligi, nempe, postquam usus obtinuit, ut baptismus & eucharistia sacramenta vocentur, quin etiam talia verè & propriè sine controversia ab omnibus habeantur, in eo rationem generalem sacramenti propriè ita dicti constituimus, quod baptismo & eucharistiæ convenire ex scripturâ cognoscimus.

I. Quod Latinis Sacramentum est, id Græci mysterium vocant. Invenitur quidem utrumque vocabulum in sacris literis, sed nusquam eo sensu, quo baptismum & Eucharistiam denotat: Sic I. tota doctrina christiana mysterium appellatur Matth. XIII. v. 11. Luc. VIII. 10. Mar. IV. 2. *Vobis datum est, ait Salvator, nosse mysteria regni caelorum.* II. Quædam doctrinæ Christianæ pars. I. Tim. <sup>III.</sup> *Sine omni controversiâ magnum est illud pietatis mysterium* (vulgatus interpres reddit sacramentum) *Deus conspicuus factus est in carne.* III. Nonnunquam rem sacram quidem significat, quæ tamen doctrinæ christianæ pars non est. Hoc sensu Eph. V. 32. Conjugium

*myste-*

mysterium (Sacramentum) magnum Christi & Ecclesia vocatur. IV. Imo res arcana sed non sacra eo nomine quoque venit. Tobia XII. 7. *Sacramentum Regis abscondere bonum est.* V. Appellatur ita ritus, ab ipso Christo instituti, quales sunt baptismus & eucharistia: Verum hac significatione uti diximus, vocabula mysterium & sacramentum in S. Scriptura non reperiuntur, sed videntur primi Antistites religionis Christianae horum usum à paganis mutuasse. *Vt enim corruptas superstitione mentes eo facilius ad veritatis amorem traducerent; & verba sacrorum illorum quam plurima in suos usus transfulerunt, & cum doctrina vera capita aliquot sic tractarunt, tum ritus etiam nonnullos ejusmodi instituerunt; ut videntur cum Paulo dicere Gentibus voluisse. ἀ ἀγνοῦντες εἰσέλθοντες, ταῦτα ἡγάρ ἔμαθον ἐπιπίν.* *Quae creditis & facitis, ut p̄i sitis, ea, qui possint ac debeant verè credi, fieri, ut sitis re vera p̄i, vos docere volumus.* Vid. *Causab. Exer. XVI. n. 43.*

III. Quamquam autem sacramentum sit ens per aggregationem adeoque exacta ejus definitio tradi nequeat, potest tamen hunc in modum describi. Sacramentum est actio externa à Deo instituta, ut in Ecclesia perpetuo servetur, applicans certo ritu visibile signum, pariter ac internam & spiritualem actionem figurans, divinam gratiam, qua salutem consequimur vi institutionis & promissionis divinae producens vel ante productam augens & confirmans.

IV. Dicitur 1. esse actionem externam à Deo institutam. Sunt enim sacramenta leges divinae positivae, quapropter à Deo tantum profectae sunt: necesse est: praeterea cum non significant tantum supernaturalem gratiam verum etiam eandem producant, facile inde perspicitur, non nisi Deum eorum auctorem esse posse.

V. Dicitur 2. ut in Ecclesia perpetuo servetur. Hoc ipso enim

enim distinguuntur sacramenta N. T. à sacramentis V. T. quæ ad certum tempus erant instituta ; Illa autem duratura sunt usque ad consummationem sæculi, sicut de baptismo promissum est. Matth. XXVIII. & donec Filius Dei redeat ad iudicium, uti Paulus de Eucharistia loquitur 1. Cor. XI. 26.

V I. Dicitur 3. *Sacramentum esse actionem certo ritu applicantem visibile signum.* Nam per hoc distinguuntur Sacramenta ab aliis actionibus externis, quæ quidem promissionem gratiæ itidem habent annexam sed tale sensibile signum ex mandato divino non applicant, quale applicatur e. g. in baptismo, ubi solenni ritu aqua lavamur: item in eucharistia, ubi præmissâ consecratione panem benedictum comedimus & e calice benedicto bibimus.

VII. Dicitur 4. *Actionem illam externam, internam & spiritualem actionem figurare.* Sic lotio corporis figurat in baptismo lotionem animæ, & comestio panis & bibitio vini in eucharistia designant cibum spiritualem, quod est corpus & sanguis Christi, quibus fideles ad vitam æternam aluntur. Voluit enim Deus opt. max. res spirituales non solum intellectui proponere, verum etiam easdem aliquo modo sensibus subicere, ut firmius hærent. Hinc bene Chrysostr. *Εἰ μὲν γὰρ ἀσώματ' εἶ, γυνὰ ἀὶ αἰτὰ σοὶ τὰ ἀσώματ' ἀπέδωκε δῶρα: ἐπεὶ δὲ σῶματι συμπεπλεκταὶ ἡ ψυχὴ, εἰ αἰδ' Ἰησοῦς τὰ von τὰ σοὶ παρ' ἰδῶσι.* hom. 83. in Matth. *Si incorporeus esses, auda & incorporea tibi dedisset dona, sed quoniam anima corpori inserta est, in sensibilibus intelligibilia tibi præbet.*

VIII Dicitur 5. *Sacramentalem illam actionem internam gratiam, qua salutem consequimur, producere vel ante productam augere vel confirmare.* Per hæc verba distinguuntur Sacramenta N. T. non solum à ritibus ab Ecclesia institutis & rem sacram tantum significantibus, verum etiam à Sacramen-

tis V. T. quæ itidem erant significantia saltim gratiam, non autem conferentia. Hinc Gal. IV. 9. vocantur *infirmæ & egenæ elementa* i. e. in justificationis negotio inefficacia, quæ gratiam Dei ac hæreditatem æternæ vitæ nec continent nec conferunt. Item Auctor Epist. Hebr. VII. 18. ea vocat *inutilia*, non quod nihil utilitatis unquam habuerint; erant enim pædagogus noster ad Christum, quem etiam præfigurabant, sed quod non justificârint & salvârint adeoq. nunc exhibitio Christo, ut tempore N. T. inconvenientia, prorsus sublata sint. Unde cap. X. 4. Idem dicit: *Non potest sanguis taurorum & hircorum auferre peccata.* Nam sacrificia Levitica tanta non erant nec à Deo ideo constituta, ut per ea veteres justificarentur & sanctificarentur, sed saltim externam legalem immunitatem & carnis impuritatem tollebant, ut Israelitis ad cultum illum terreni tabernaculi aditus pateret; *sanguis a. Christi, qui per Spiritum æternum* (quo divina Christi natura denotatur) *se ipsum obtulit inculpatum Deo, emundat conscientiam nostram à mortuis peccatis.* Uti habetur C. IX. 14. Ejusdem Epist. ad Hebr. *Sacramenta v. N. T. non solum significant sed etiam conferunt gratiam, augent & confirmant.* Sic baptismo adscribitur remissio peccatorum Act. II. 38. C. XXII. 16. Item Eph. V. 26. dicitur Christus *sanctificare Ecclesiam lavacro aquæ.* Tit. III. 5. Appellatur baptismus *lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus s.* De Eucharistia inquit Salvator Joh. VI. 54. *Qui edit carnem meam, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam & ego suscitabo illum ultimo die.* Et. v. 56. *Qui edit meam carnem & bibit meum sanguinem in me manet & ego in eo.*

IX. Dicitur 6. Sacramentum N. T. *gratiam conferre vi institutionis & promissionis divinæ.* Et si enim adulti ex Sa-  
cra.

cramentorum usu nullum fructum percipiunt, nisi fide præditi & benè dispositi sint, vi tamen illius dispositionis aut ex fidei dignitate gratiam i. e. sanctificationem & hujus augmentationem non consequuntur: (ad hanc enim homo dignè sacramentum usurpans non activè sed saltem dispositivè concurrat, removendo videlicet obstacula) sed vi & virtute actionis sacramentalis, non quidem ut causæ principis, quæ solus Deus est, sed ut causæ instrumentalis à Deo ad hoc institutæ. Id quod manifestè patet in infantibus, qui per baptismum verè regenerantur & sanctificantur, qui tamen per ætatem nec credere nec præparare se possunt. Hinc Scholastici docent Sacramenta Nova legis non conferre gratiam ex opere operantis i. e. ex bonitate & devotione ejus, qui operatur sc. qui vel administrat vel suscipit sacramentum, sed ex opere operato, i. e. ex Dei Auctoris institutione, potentia & operatione.

X. Quod numerum Sacramentorum attinet, ille nec in sacris literis est expressus, nec in primitiva Ecclesia unquam determinatus, quod ipsi Pontificii negare haud possunt. Audiatur nunc saltem Vazquet: *Patrum testimoniis, inquit, hoc (septenarium Sacramentorum numerum) confirmare, supervacaneum est, quia nullus eorum de numero speciatim quicquam definit* Quod itaque universæ Ecclesiæ per mille & ducentos annos ignotum fuit, id seculo XII. Magister sententiarum Petrus Lombardus prudentior sc. totâ Antiquitate primus perspexit ac imperitâ curiositate septem sacramenta numeravit, nempe, baptismum, confirmationem, panem benedictionis seu eucharistiam, poenitentiam, unctionem, extremam, ordinem & conjugium. *Magistrum secuti sunt* (utemur verbis B. Hornei) Scholastici Doctores, quorum Doctrinam seculo decimo quinto Concilium Florentinum in instructionem Ar-

Compend.  
Theolog. p.  
327.

menorum retulit, donec tandem in Concilio Tridentino sessione VII. Canone I. numerus ille septenarius, in odium Ecclesiarum Augustanae Confessionis, qua binarium aut ternarium numerum cum antiquis amplecti maluerant, sub anathemate sanciretur.

### De Sacramento Baptismi.

I. Vox baptismi est æquivoca, i. sumitur pro typo, quem admodum inundatio diluvii I. Petr. III. 20. & transitus per mare rubrum I. Corinth. X. 2. baptismus vocantur, quia baptismum adumbrabant. 2. pro baptismo spiritus seu flaminis, de quo Johannes Matth. III. 11. Ego quidem baptizo vos aqua, is vero, qui ponet me venit vos baptizabit spiritu Sancto, & igne. Eadem ab ipso Christo prolata narrantur Act. I. 5. 3. Pro baptismo martyrii seu sanguinis, de quo loquitur Christus Luc. XII. 50. Baptismo me oportet baptizari, & quomodo constringor usque quo hoc perficiatur? 4. pro baptismo aquæ seu fluminis, quem Paulus Eph. V. 26. Lavacrum aquæ per verbum vocat. Juxta hanc ultimam acceptionem baptismum nunc paucis exponemus.

II. Est autem baptismus actio ab ipso Christo instituta, abluendi homines aqua in nomine Patris, & Filii & Spiritus S. regenerationis & adoptionis gratiam non solum significans verum etiam conferens vel ante collatam confirmans & obsequans.

III. In hac definitione primò consideranda venit causa efficiens, quæ est Salvator noster, qui Matth. XXII. 19. hunc lavandi actum Apostolis & discipulis suis ejusque successoribus in toto mundo administrandum seriò mandavit. Mar. XVI. 16. Addidit promissionem æternæ salutis baptismum dignè suscipientibus donandæ; contemptoribus verò & baptiza-



prizari nolentibus exclusionem à regno cœlorum comminatus est. Joh. II. 5. Ex quibus necessitas baptismi cuius æternum salvari cupido satis superque innotescit.

IV. Coeterum cum in historia Evangelica etiam mentio fiat baptismi Johannitici, quæritur, num hic baptismo Christi quoad vim & valorem æquipolleat atque adeo æq; ac ille remissionem peccatorum, quæ in iudicio divino fieret, in adultis confirmârit & ob signârit, aditumq; ad caelestes cætus aperuerit nec ne? Hæc quæstio ut curiosa & inutilis tota quidem omitti posset, cum nemo nunc baptizetur nec baptizatus sit Johannis baptismi, sed propter Tridentinos eam silentio involvere haut licet: Hi enim negativam non solum amplectuntur, verum etiam dissentientes anathemate damnant, can. I. de baptismo: *Si quis dixerit, ajunt, baptismum Iohannis habuisse eandem vim cum baptismo Christi, anathema sit.* Sanè *magna & ardua res est, inquit Chemnitius, anathema alicui dicere, h. e. denunciare, quod præcisus & exclusus sit ab omni gratia seu misericordia Dei in Christo Iesu, & quod diris sit devotus ad sempiternum exitium. Causam igitur propter quam alicui anathema dicatur, oportet esse non levem, nec dubiam sed gravissimam & certissimam.* At verò Tridentini opiniones partim veras partim indifferentes & innoxias adjectis anathematibus in capitales mutarunt errores. Cujusmodi sunt decreta de Canone SS. V. T. de septenario Sacramentorum numero, de diversitate baptismi Johannis & Christi & similibus. Nempe sine quibus Ecclesia ultra mille & plures annos fuit vera & catholica, absque illis posthac vera & catholica illi esse per Tridentinos non licet.

EXAM. Cœcil. Trid. de Charact. Can. IX.

V. Præterea longè probabilior & Scriptura magis conformis est eorum sententia, qui propositæ quæstionis affirmativam

vam defendunt. *Vterque enim* (baptismus tum Christi tum Johannis) *non ab homine est, sed à Deo; in utroque est aqua; verba quoque si non eadem, attamen equipollentia: neq; enim in suo nomine baptizavit Iohannes, verum vel expressè in nomine Trinitatis vel implicite in nomine Dei & Messie venturi. Vtrobique quoque effectus est idem, nempe remissio peccatorum: predicavit enim baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.* Luc. III. 3. Marc. I. 4. Uti rem totam paucis hinc exponit B. Calixt. Compend. Theol. in loco de baptismo. Unde etiam discipuli Johannis, qui ad Magistrum suum baptismum Christi deferebant, nullam prorsus anabaptismi aliquid fecerunt mentionem. Quod profectò non neglexissent, si baptizatos à Magistro suo Christi baptismo denuò tingivissent. Quin cum ipsi Christo baptismus à Johanne collatus suffecerit, nulla potest fortè reddi ratio, cur aliis haut suffecisse sit censendus. Nec dubium est, quin sicut Christus recipiens circumcisionem approbavit illud V. T. Sacramentum, ita suscipiens baptismum Johannis consecraverit & sanctificaverit sacramentum Novi pæcti, quod in locum circumcisionis succederet. Fuerant quidem sub antiquo foedere diversa ablutiones, sed non nisi ad Carnis puritatem facientes Hebr. IX. Absit autem, ut iis Johannis baptismum annumeremus, qui è cœlo erat, sicut Luc. XX. 4. dicitur.

obj. 1. VI. Objicitur quidem I. quòd ipse Johannes inter suum & Christi baptismum distinguat Matth. III. 11. cujus verba n. I. adduximus, quam distinctionem Salvator quoq; prober Act. I. 5. *Johannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizamini Spiritu istis non multis post diebus: Verum inde nondum sequitur: baptismum Johannis à baptismo Christi specie esse diversum: Sensus n. horum verborum est, Johannè aqua tinxisse homi-*

homines, & quæ foris ex divina institutione agenda erant, peregrisse, Christum verò in eodem Johan. baptismo Spiritus S. gratiam cuius fideli ad salutem necessariam contulisse, & præterea die Pentecostes extraordinaria, & eximia ejusdem Spiritus dona sub visibili ignis specie largiturum esse. Non itaque inter duos baptismos sed inter duas tantum personas ad unum eundemque baptismum concurrentes hic discernitur, quarum altera est instrumentalis externa & in sensu incurrentia peragens, altera principalis internam vim & efficaciam conferens. Cæterum cum N. T. tempore multæ conderentur & nascerentur Ecclesiæ & propterea plures quotidie doctores requirerentur, tales autem per ordinaria media (qualia sunt diturna & laboriosa studia) tum præ temporis angustia evadere haut possent, extraordinariè donis linguarum & prophetiæ exornabantur, & horum donorum effusionem Johannes pariter ac Christus in specie vocant baptismum Spiritus & ignis, in iis præsertim scripturæ locis; ubi in futuro loquuntur.

VII. *Obiiciunt* 2. Paulum Apostolum duodecim à Johanne baptizatos denuo baptizasse, idque ex Actor. XIX. 1. & seqq. manifestum esse putant. Ita autem habent verba: *Factum est autem interim dum Apollos esset Corinthi, ut Paulus peragratis superioribus partibus veniret Ephesum: ubi cum discipulos invenisset, dixit eis, num spiritum S. accepistis, postquam credidistis? Illi dixerunt, imo si ne Spiritus S. ne audivimus quidem. Tunc dixit eis, in quid ergo baptizati estis? Ipsi verò dixerunt, in Iohannis baptisma. Dixit autem Paulus, Iohannes quidem baptizavit baptismo resipientia, dicens populo, ut in eum, qui veniebat post ipsum, crederent, hoc est in Christum Iesum, qui verò illum audierunt, baptizati sunt in nomen Dni Iesu. Et cum imposuisset eis manus Paulus, venit Spiritus*

B

Sanctus

obj. 2

Sanctus in eos & loquebantur linguis & prophetabant &c. Be. verba hæc, qui verò illum audiverunt, baptizati sunt in nomen Domini Jesu, non sunt Lucæ historiam hanc narrantis, sed Pauli exponentis, qualis prædicatio & baptismus Johannis fuerit, & quomodo auditores ipsius se gesserint. Cohærent enim jam dicta verba cum præcedentibus Pauli verbis, quod ex particulis *μὲν* & *δὲ*, quidem, verò sibi mutuò respondentibus satis superque innotescit. Falsum ergo est, duodecim illos, quorum hic fit mentio, ab Apostolo Paulo denuò fuisse baptizatos.

II X. Porrò certum quidem & in confessò est, baptismum publicè & solenniter non nisi ab ordinario Ecclesiæ ministro oportere administrari, privatim tamen & in casu necessitatis cuilibet etiam laico & mulieri licitum esse baptizare, communis tum veterum tum recentiorum, Calvino ejusque asseclis exceptis est sententia. Possè n. in casu necessitatis, & ubi Pastores non sunt & diaconos & laicos docere & sacramenta administrare ex sacro codice haut obscurè patet. Etenim de Aquila ejusque uxore Priscilla Act. XIX. 26. narratur, quòd Apollon virum coeteroquin doctũ sed Johannis baptisma tantũ scientem assumerint. Hinc Paulus utrumque adiutores suos in Christo appellat Rom. XVI. 3. Item omnes à cœde Stephani dispersos evangelizasse interque eos Philippum Diaconum baptizasse viros, mulieres, & eunuchum æthiopem ex Act. XIX. constat. Cũ itaque tanta sit hujus sacramenti necessitas, ut magnum periculum sit, si negligatur, rectè etiamnum Laicis & mulieribus in casu necessitatis & ubi pastores non sunt, baptizare conceditur.

I X. Materia baptismi est vel remota vel proxima. Remota est aqua vera & naturalis, cujus loco nulla profus aliã licet

licet uti materiâ; Nam Christus ipse aquam expressit Joh. III. s. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest intro-  
ire in regnum Dei. Accedit praxis totius Ecclesiæ, quæ à pri-  
mis usque incunabulis juxta Salvatoris institutionem in ba-  
ptismo non nisi veram & elementarem aquam adhibuit.  
Valde itaq; olim errarunt Seleuciani & Hermiani, qui teste Au-  
gustino hæref. LIX. baptismum in aquâ non accipiebant. Aque  
etiam usum refugerunt Pauliciani, ut ex Euthymio est notum.  
Sed nec illorum probanda est sententia, qui saltim extrema a-  
gentem, vino, lacte aut simili liquore baptizari posse censent.  
Sanè si aquæ elementum communissimum haberi nequeat,  
quomodo vinum, lac aut similis liquor haberi poterit? Quod  
si tamen obtingat, abstinendum potius est baptismo, quàm  
committendum, ut aliquid ad essentiam baptismi pertinens  
mutetur. Unde rectè Ruardus Tapperus: si vino admini-  
straretur baptismus, nullum esset sacramentum, nec ulla fieret  
regeneratio nec peccatorum remissio. Materia proxima bap-  
tismi est ablutio quæ vel aspersione vel immersione peragitur.  
Hinc Paulus Eph. V. 26. baptismum lavacrum aquæ appellat.

X. Sed hîc quæritur, an baptismus ab hæretico collatus le-  
gitimus sit & iterari non debeat? Responsio ex supra dictis  
patet. Ostendimus enim th. IX. de sacramentis in genere, sacra-  
mentum vim & efficaciam suam principaliter habere ex insti-  
tutione & promissione divina, non ex dignitate & qualitate  
vel suscipientis vel administrantis. Omnis igitur baptismus  
ex divino præscripto administratus validus & non iterandus  
est, etiamsi ab hæretico vel impio fuerit collatus, modò illi for-  
mulam non immutent. Nec obstat, quòd olim S. Cypria-  
nus eximius Ecclesiæ Doctor & Martyr, ac reliqui Africæ Epi-  
scopi aliud statuerint & fecerint. Rationes enim quas pro  
sua

sua sententia adducunt, rem non evincunt. Aliquid humani itaque in eo passi sunt. Sed error eorum non fuit capitalis. Hinc ab aliis Ecclesiarum Doctoribus contrariam & veriolem sententiam asserentibus communione non sunt exclusi & ipsi quoque unitatem servarunt. Nondum autem, ut Augustinus aliquoties dicit, tempore Cypriani de baptismo hareticorum plenarii Concilii sententia exstitit, quæ seculo quarto promulgata est. Quum enim Paulianistæ formulam immutassent, Cathari verò sive Novatianistæ eam retinuisserent, Concilium Nicanum statuit, illos rebaptizandos esse, hos verò ad Catholicam Ecclesiam reversos acceptam manuum impositione in clero manere posse.

X I. Obiectum seu materia circa quam baptismi non sunt campanæ aut aliæ res inanimatæ, nec creaturæ brutæ & irracionales sed homines tantum illique vivi & perfectè nati infantes pariter & adulti. Perspicua enim sunt Christi verba Joh. III. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest ingredi in regnum cælorum*: quæ utique tam infantes quam adultos obligant; omnes enim ex carne nati i. e. peccato obnoxii sunt, & à naturali. e. à primo ortu & origine filii iræ. Eph. II. 3. E. etiam omnes renascentiâ opus habent. Præterea ex verbis Petri Act. II. 38. & 39. *Baptizetur unusquisq; vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum & accipietis donum Spiritus Sancti: Vobis enim facta est promissio & liberis vestris*, rectè colligitur, æquè infantes atque adultos esse baptizandos.

XII. Prædobaptismum præterea confirmat veteris Ecclesie praxis. Non solum n. Apostoli integras familias, in quibus sine dubio infantes etiam erant, baptizasse leguntur Act. XVI. 15. I. Cor. I. 14. Verùm etiam subsecutis temporibus parvulos bapti-

baptismum obtinuisse, testantur antiquissimi Ecclesiæ Patres, Irenæus, Tertullianus, Origenes, Cyprianus, Gregorius Nazianzenus, Ambrosius, Hieronymus, Chrysostomus, Augustinus. Quorum verba eum ab aliis pridem adducta sint, hic repetere super sedemus, ne actum agere velle videamur.

XIII. Etsi verò olim usitatum fuit, non solùm parvulorum sed etiam adultorum baptismum differre, uti Constantini Magni, Nazianzeni, Augustini, Ambrosii baptismus dilatus fuit, id tamen non communi Ecclesiæ instituto, sed potius privato nonnullorum & cum primis parentum consilio minimè laudando adscribendum est. Sic Gregorius Nazianzenus etiam si in oratione 40. de sancto lavacro etiam atque etiam hortetur pios, ne in extremam senectam differant baptismum, nihilominus tamen de infantibus consulit, ut tertio aut quarto ætatis anno, (tum enim de doctrina Christianâ eos aliquid respondere posse) sacro lavacro tingantur. Sed rectius S. Cyprianus Epist. ad Fidum Episcopum, ne octavum quidem diem necessariò expectandum esse, multis ostendit. Et hæc etiam est communis prisæ Ecclesiæ sententia generali Christi regulæ Joh. III. 5. & Matth. XXIIX. 19. conformis, juxta quam Christianorum infantes (nam infidelium infantes contra voluntatem parentum non sunt baptizandi) æquè ut adulti, statim simul atque in hanc lucem editi sunt, sine ullâ morâ baptismi tingi oportet. Hinc S. Augustinus Epist. XXIIIX. ad Hieronymum. *In tota Ecclesia propterea cum baptizandis parvulis festinatur & curritur, quia sine dubio creditur, aliter eos viviscari in Ecclesia non posse.* Si verò contingat, ut fidelium infantibus morte præventis baptismus industriâ humanâ conferri nequeat, ibi desiderium parentum pia & ardenti precatione prolem suam Christo commendantium pro ipso facto haberi putamus.

XIV. Sed observandum hîc est discrimen inter infantes & adultos. Etsi enim illi ante usum rationis ad baptismum rectè admittuntur & postea demum, cum adolefcunt, in doctri-  
 nâ Christianâ informantur, de his tamen alia est ratio; nam cum doceri possint, juxta Christi mandatum prius docendi sunt, quàm sacramenti hujus fiant participes. Hinc veteres cer-  
 tum quendam ordinem cum adultis baptizandis servabant. Primò collocabant eos inter catechumenos, qui capita fidei docebantur, atque interrogando & respondendo exercebantur, unde dicebantur Audientes. Secundò annumerabantur baptismi candidatis, qui fidei suæ rationem reddere jam no-  
 rant. Appellabantur aliàs competentes. Tertiò baptismi participes facti cœtui fidelium statim jungebantur, & unâ cum iis sacra Eucharistia fruebantur.

XV. Præterea informationi catechumenorum tempus quadragesimæ peculiariter destinatum fuit, uti ex Cyrilli Hierosolymit. Catechesi, eorum qui illuminantur, ultimâ elucet. *De traditâ vobis, inquit, ad profitendum sanctâ & Apostolicâ fide, quantum catechesis capere potuit, per Dei gratiam diximus præteritis hisce quadragesimæ diebus. Instante autem deinceps sancto die Paschæ, & vestra per lavacrum regeneratione, docerimus rursus, Deo volente, ea qua conveniunt.* Nam baptismus olim, si periculum mortis aberat, solemniter non administrabatur nisi statim temporibus sc. Paschæ & Pentecostes festis. Tertull. de baptismo cap. XIX. *Diem baptismo solemnior em paschâ præstat, quum & passio Domini, in qua tingimur, adimpleta est.* — Exinde Pentecoste adornandis lavacris latissimum spatium est. — Cæterum omnis dies Dni est, omnis hora, omne tempus habile baptismo: si de sollemnitate interest, de gratiâ nihil refert. Diu autem hæc consuetudo certo tempore ba-



re baptizandi duravit in Ecclesiâ, ut temporibus Caroli Magni adhuc obtineret. Postquam vero adulti & pauci & rarò baptizari ceperunt, mutata ea fuit & paulatim abolita est. Hinc etiam desuit usus baptisteriorum extra templa constitutorum, & immersio, quâ sepultura veteris hominis cum Christo significabatur Rom VI. tandem in asperfionem, utpote infantibus magis convenientem, quoque transiit.

XVI. Porrò forma baptisni consistit in expressâ SS. Trinitatis invocatione, sc. Patris & Filii & Spiritus S. ut ipse Christus mandavit Apostolis baptizare in nomine Patris, Filii, & Spiritus S. Matth. XXII. Nec obstat, quòd Act. II. 38. & alibi Apostoli & viri Apostolici leguntur baptizasse in nomine Christi. Non enim formula, quâ usi fuerunt, hic exprimitur, sed significatur tantum, baptizasse eos 1. in fide Christi. 2. *in nomine Christi baptizuj.* 3. Baptismo à Christo instituto. Perinde autem est, sive baptizans in primâ personâ loquatur: *Ego baptizo te in nomine Patris Filii & Spiritus Sancti*, ut in Latina Ecclesiâ moris est, sive in tertiâ: *baptizetur servus Christi in nomine Patris, Filii & Spiritus S.* quâ loquendi ratione utuntur Græci. Id enim cum à Christo non sit præscriptum, Christianæ libertati relicta est, nec ad baptisni essentiam aut integritatem pertinet, ut hæc vel illa formula præcisè & necessariò obtineat. Hinc erravit Alexander II. cum libr. III. decret. tit. 42. dicit: *Si quis puerum ter in aqua immerferit in nomine Patris, Filii & Spiritus S. & non dixerit, Ego te baptizo in nomine Patris, Filii & Spiritus S. non est puer baptizatus.* Sed Concilium Florentinum utramque formulam admittit, cui hodierni etiam pontificii subscribunt.

XVII. Dicis: Invocationem SS. Trinitatis non habere rationem formæ, cum ea æque atque ablutio per intentionem

nem ad certum esse restringatur: Si enim mater filiolum lavet & eo tantum animo SS. Trinitatem invocet, ut balneum ipsi proficit, talem ablutionem nihil minus esse quam baptismum. Intentionem itaque formam esse, quâ uterque actus & lavandi & invocandi ad certum esse determinetur. *g.* Et si intentio, saltem, quæ ex opere externo illiusque circumstantiis innotescit, ad baptismum necessaria est, non tamen propterea formæ rationem obtinet, sed potius est causa sine qua non, & sicuti in omnibus actionibus humanis feris illa requiritur, ita etiam ab hac Sacramentali actione, abesse nequit. Quando igitur actus lavandi eâ fini, quâ Christus eum instituit, adhibetur, non nisi per invocationem SS. Trinitatis ad esse baptismi restringitur.

*g. Joh.*  
 XIX. Sed hîc quæritur, utrum baptismus ritè collatus iterari debeat, quemadmodum eucharistiæ usus crebrior est? *g.* Disparem esse rationem eucharistiæ & baptismi. Eucharistia enim spirituale alimentum nobis præbet, adeoque sæpius usurpanda est: Baptismus verò seu regeneratio cum carnali generatione hanc habet convenientiam, ut semel tantum fiat. Nam tale mandatum iterandi baptismi nusquam legimus, quale in verbis institutionis de Eucharistiâ extat. *Hoc facite quotiescunque biberitis in mei commemorationem.* I. Corinth. XI. 25. Sæpe quidem evenit, ut Christiani post baptismum in peccata contra conscientiam prolabantur, & sic jure & fructu baptismi excidant, ad id tamen, ut gratiæ restituantur, non iterandus est baptismus, quippe qui non à parte Dei sed hominis tantum violatur, sed ab ejusmodi lapsis solum requiritur, ut seriam agant pœnitentiam: tales n. Deus pro immensa sua bonitate & misericordiâ denuo in gratiam recipere promissit, baptismum autem repeti non mandavit. Sed etiam

etiam atque etiam observandum hic est atque hoc præsertim tempore nunquã non inculcandum, quã periculosum sit, foedus cum Deo initum frangere. Si enim magnum peccatũ est, & in virum bonum minimẽ cadit, pactum cum æquali factum violare, quantò gravius itaque ille peccat, qui fidem Deo datam deserit. Hinc scriptura ejusmodi hominis conditionem deteriore factam esse priore non uno loco testatur. Hinc etiã veteres post lavacrum criminibus contaminatos communione suã arcebant atq; prius non recipiebant, quã rigida disciplina in primitivã Ecclesiã observari solita se subjecissent.

XIX. Ordo nunc exigit, ut de effectu agamus, quem baptismus ut causa instrumentalis ea que non physica sed moralis confert. Est autem ille I. remissio peccatorum Act. II. 38. *Resipiscite, ait Petrus, & baptizetur unusquisq; vestrum in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum.* Et c. XXII. 16. *Ananias ad Paulum: Quid cunctaris, surgens baptizator & abluitor à peccatis tuis invocato nomine Domini.* 2. Regeneratio & sanctificatio Titum III. 5. *Ex suã misericordiã servavit nos per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus S.* 3. Salvatio uti ex jam adducto loco patet, cui etiam addimus testimoniũ Petri I. Epist. III. 21. *Cui rei* (respicit ad diluvium & arcam Noã) *nunc respondens exemplar baptismi nos quoque servat* (non quo carnis sordes abjiciuntur sed stipulatio bonæ conscientie apud Deum) *per resurrectionem Iesu Christi.*

XX. Sed hic i. quaritur, utrum omne id, quod habet rationem peccati in baptismo rollatur? Affirmativam tenent Pontificii: Sic enim Becanus Theol. Schol. part. III. traç. II. de Sacramentis in specie c. XI. quaest. II. n. 2. Peccatum originale vere tollitur per baptismum Ioh. I. 19. *Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi &c.* Ratio prima est, quia baptismus confert gratiam sanctificantem. At peccatum originale non potest conse-

C

stere

stere cum hac gratia. Item quaestio. III. n. 2. & seqq. baptismus verè tollit omnia peccata mortalia commissa, idque ex praescripto concilii Tridentini, sufficiens per solam infusionem gratiae sanctificantis. Baptismus etià tollit omnia peccata venialia: quia per baptismum homo spiritualiter regeneratur & fit novus homo. E. nihil retinet pertinens ad veterem hominem. Sed omnia peccata pertinent ad veterem hominem. E. Nullum peccatum retinet. Haec tenet Becanus.

X X I. B. In proposita quaestione latere equivocationem, quae omnium primo explicanda est. Duplici enim modo peccatum tolli potest, 1. per nudam condonationem seu remissionem. 2. Per infusionem gratiae sanctificantis. Deinde distinguendum est inter formale peccati, quod est carentia perfectionis inesse debita, & inter peccati reatum, qui nihil aliud est, quam obligatio ad poenam. Hisce praemissis dicimus 1. Omne peccatum, sive originale sive actuale, sive mortale sive veniale sive habitus sive actus in baptismo quoad reatum tolli: *Nulla enim est condemnatio iis, qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem incedunt sed secundum spiritum.* Rom. II. 9. 1. Verum hoc non fit per infusionem gratiae sanctificantis, ut perperam docent pontificii, sed per meram condonationem. Nam uti culpa ita & reatus (quippe quae a parte rei unum idemque sunt) non est aliqua entitas physica, quae peccatoris animae inhaereat. Ideoque non per realem aliquam expulsionem, nec per infusionem iustitiae inhaerentis sed per remissionem & condonationem tantum tolli potest, uti in disput. nost. de iustificat. th. XX. & seqq. ex ipso quoque Becano & aliis Pontificiis ad oculos demonstravimus. Dicimus. 2. Peccatum originis ut & habitum vitiosum v. g. habitum intemperantiae in baptismo ut & in regeneratione & renovatione, quae fit per verbum, tolli quidem per infusionem  
gratiae

gratiæ sanctificantis, sed ex parte tantum non ex toto. Quod ut intelligatur, sciendum est, peccatum tum originale tum habitum vitiosum contractum duplici modo tolli: 1. Physicè, in quantum formale peccati, i. e. carentia perfectionis inesse debita per habitum iustitiæ inhærentis expellitur, sed id saltem fit ex parte, ut dictum est. Nam etsi homini regenerato novæ vires credendi & sanctè vivendi conceduntur, manet tñ. concupiscentia originalis prava in omni homine, & inclinatio ad peccandum in eo, qui præterea habitum vitiosum v. g. habitum intemperantiæ sibi contraxit; & quanquã hic successu temporis per exercitiũ virtutis tandem totus ejici possit, cum illa tamen omnes regeneriti, etiã sanctissimi per totam hanc vitam conflictari necesse habent. 2. Moraliter quoad dominium: peccatum enim in regeneratis non amplius regnat, certè regnare non debet, ut obediant peccato in cupiditatibus corporis. Neque sistant membra sua arma in iustitiã peccato, sed sistant se Deo, ut ex mortuis vivos & membra sua arma iustitiæ Deo Rom. VI. 12. 13. Ex dictis itaq; nunc patet, falsissimum illud esse, quod Becanus asserit, sc. omne id, quod peccati rationem habet & ad veterem hominem pertinet, in baptismo per infusionem gratiæ sanctificantis tolli. Negant quidem Pontificii concupiscentiam esse peccatum, sed contra veritatem. Concedunt enim ipsi, omne id esse peccatum, quod privatimè pugnat cum lege Dei. Jam v. concupiscentiam pravam pugnare cum lege primavã tam clarum est, uti sol, quando in medio meridie lucet.

XXII. 2. Quæritur, an baptismus sit efficax organon, & omnibus, qui eo tinguntur, tum adultis tum infantibus conferat gratiam, quã regenerantur & renovantur? Ad hanc quæstionẽ affirmativè respondendum esse, ex supra dictis non solum patet, sed etiam ex mox dicendis, ubi de effectu baptismi in specie acturi sumus, manifestum fiet. Affereimus autem

Becan. Th.  
sch. part. 2.  
tract. 2. c.  
9. quæst. 2.  
n. 6.

2. 2.

tem nunc unicum sed inuisum argumentum quod ita habet: *Ex aqua baptismi renascimur. E. baptismus est organon efficax renascentie. Antecedens probatur ex Ioh. III. 5. Nisi quis genitus sit iterum ex aqua & spiritu &c. Ad hoc argumentum Wendelinus lib. I. Christ Theol. C. XXII. th. 14. sic respondet: I. inquit: Antecedens ex allegato loco probatio non est evidens: siquidem per aquam non necessario intelligitur baptismus: Nam multi sine baptismo externo introeunt in regnum Dei: sed intelligi potest aqua spiritualis seu aqua, quae est spiritus: quo sensu particula ET in verbis ex aqua & spiritu non erit discretiva, sed declarativa; ut saepe alius.*

XXIII. Verum hoc non est explicare sed torquere Scripturam. Nullam enim urgentem causam hic unquam reddere potest Wendelinus, Quare cum Calvino à proprietate vocis aquae hic recedat. Neque enim sequitur: Multi sine baptismo externo (qui videlicet desiderio ejus tenentur, sed in casu necessitatis participes fieri nequeunt) introeunt in regnum Dei. E. in loco allegato intelligenda est aqua spiritualis. Praeterea ex toto contextu luce meridianam clarius est, Christum hic loqui de regeneratione, quae fit per baptismum, quem tum administrabat Johannes & Nicodemo optime notus erat. Efficaciam igitur pariter ac necessitatem baptismi hujus divinitus instituti Salvator Nicodemo exponit. Hinc & tota antiquitas hunc locum de vero baptismo interpretata est & orthodoxi etiam nunc ex eo pro doobaptismo contra anabaptistas recte probant. Sed ipse Wendelinus interpretationi vel potius depravationi isti diffusus, misso antecedente & concessa consequentia, nunc consequens admittit atque respondet. II. Consequens recte intellectu facile datur. Nam & nos docemus, baptismum esse efficax organon renascentiae: organon verò non per vim quandam inhaerentem, quae instar physicae  
causae

causa agat & fide etiam se non exerente vel absente nobilem hunc effectum producat sed per modum cause moraliter agentis: quatenus verbi instar Christum cum omnibus beneficiis nobis exhibet ex ordinatione divinâ: & testatur ac confirmat, omnes verâ fide externum hoc & visibile signum accipientes tam verè & certò, propter Christi sanguinem, virtute Spiritus Dei, renovari, regenerari, & à suis peccatis purgari & lavari; quàm verè & certò vident & audiunt se sacramentali hac aqua ex institutione Dei, in corporibus suis conspersos & lotos esse, vel conspergi & lavari. Hanc fidei nostræ confirmationem & regenerationis, per Spiritum S. in nobis inchoatæ obsignationem, fieri non potest, quin sequatur augmentum regenerationis & sanctificationis: quò enim in homine robustior est fides, eò magis & arctius Christo capiti suo unitur, eoque robustiores evadunt spei & charitatis habitus, & ferventius in charitatis studio se exerunt. Hactenus igitur aqua baptismi efficax est organum renascentiæ: quam insententiam quoque Calvinus in Antidoto scribit: Baptisum esse ordinarium Dei instrumentum ad nos lavandos & renovandos, ad salutem denique nobis communicandam. Hæc Wendelinus, quæ rectè intellecta itidem facile damus.

XXIV. Porrò de effectu baptismi nunc in specie acturi, sciendum est, illum à parte quidem Dei eodem modo sese habere, ratione tamen objectorum diversorum eundem etiam diversum esse. Et verò quod infantes attinet, ille æqualiter sese semper habet. Nam cum hi per ætatem nec doceri nec discere adeoque Spiritus S. operationi nec resistere possint, baptismus in omnibus idem operatur, i. e. remissio peccati originalis reatu (actualia enim peccata in eos non cadunt) gratiam regenerationis & sanctificationis illis confert, eosque in filios Dei adoptat, atque hæredes vitæ æternæ constituit. U-

de  
fide in  
sanctum

trum verò actuali fide donentur, an verò vires credendi & sanctè vivenditantum accipiant, quarum virtute deinde cum adolefcunt, actu credant & sanctè vivant, controversum est. Prius negat S. Augustinus Epist. 57. hisce motus rationibus:

1. quia infantes in baptismo partim vocis ejulatu, partim motu corporis obstrepunt & reluctantur.
2. Quia quando adolefcunt, nihil omnino sciunt de rebus fidei, nisi prius informentur. Ex quo sequitur, eos vel antea non credidisse vel à fide defecisse. Nam *absurdum est*, inquit Augustinus, *opinari, in vagitu infantia, vel in ipso adhuc uteri silentio parvulos fuisse sapientes, postea verò, cum nobiscum cæperunt loqui, ad hanc ignorantiam, quam videmus, crescendo venisse.*
3. Quia sicut ex eo, quòd asina Baalam locuta sit, non licet colligere, omnes asinas loqui; ita quoque exemplum Johannis baptisimi non trahendum est ad omnes infantes, singulare sanè illud exemplum non facit regulam communem, sed ostendit saltem, Spiritum S. etiam in infantibus operari posse, ait B. Chemnitius, qui & ipse actualem fidem infantibus haut tribuit, sed cum auctoribus formulæ concordia bene explicat, quid sit, infantes habere fidem sc. non imaginandum esse, dicunt, ac si infantes intelligant aut fidei motus sentiant, sed infantes in baptismo non sanctificari & salvari sine Spiritus S. operatione; cum clarè Christus dicat: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu non potest ingredi in regnum cælorum. Talem itaque actionem seu operationem Spiritus S. in infantibus se vocare fidem* dicit Chemnitius, cujus sententiæ etiam nos subscribimus.

XXV. Denuo autem hic nobis contradicit Wendelinus negando effectum baptisimi respectu infantum, eò, quòd Spiritus Sancti operationi resistere nequeant, equaliter se habere. Argumentatur ita: si omnes infantes in ipso baptismo regenerarentur, sequeretur omnes baptizatos servari. Atqui fallsum conse-



*consequens: uti ipsi fatentur Lutherani. Connexi ratio est: quia qui semel regenerati sunt & fide verâ præditi, ydona hæc nunquam amittunt ( ut suo loco probabimus ) & proinde non damnantur.*

XXVI. §. Hæc propositio : Omnes infantes baptizati servantur 1. non fallâ sed vera est, si infantes baptizati in infantia suâ ex hac vitâ discedant. 2. Vera quoque est de adultis in infantia baptizatis in sensu composito. Quemadmodum enim Johannes dicit I. Epist. III. 9. Nullum ex Deo natum peccare. Et Christus Marc. XVI. v. 16. Omnem credentem & baptizatum servatum iri: ita etiam rectè dicimus, omnem in infantia baptizatum, quatenus videlicet gratiam, quâ in baptisimo adeptus est, retinet, servari. Hac itaq; ratione concedimus majorem syllogismi propositi, sed negamus minorem. Si verò consequens intelligatur in sensu diviso, concedimus equidem minorem sed negamus majorem & omne id, quod pro probatione ejus adfertur. Ratio enim consequentiæ nititur falso fundamento. Conatur quidem Wendelinus l. I. Ch. Th. CXXIV. th. XIIX. id multis probare, sed nihil probat. Et quanquam instituti nostri jam non sit, ex professo hanc controversiam tractare: non possum tamen, quin verbo saltim ostendam, quàm turpiter sese det in respondendo ad exempla, quæ ex manifestâ Scripturâ falsissimæ huic sententiæ nostratibus opponuntur, sc. Davidem, cum adulter & homicidâ fieret, Salomonem cum idololatriam exerceret, & denique Petrum cum Christum abnegaret, à fide & justitiâ defecisse negat Wendelinus, ob hanc rationem, quia non peccarunt pleno voluntatis consensu, sed ex carnis imbecillitate. Quod si verum est, nullum sanè dabitur flagitium, quin eadem ratione excusari possit, nec ullum amplius discrimen erit inter peccata regnantia & non regnantia, inter flagitia contra conscientiam

com-

commiffa & imbecillitates, quæ etiam sanctiffimis in hac vita adhærent. Sed hæc obiter saltim & in tranfcursu; nec proluxa opus habent confutatione cùm recitalfe talia refutalfe fit.

XXVII. Porrò nec id fíentio híc involvendum eít, quòd reformati, fi non omnes, plerique tamen ftatuant, infantes fidelium jam ante baptifmum in foedere eífe adeoq; baptifmũ regenerationem in iis non inchoare fed saltim confirmare & obfignare. Idque ut probent, duo potiffimum adducunt fcripturæ dicta, alterum ex Vet. alterum ex N. T. petita. Prius habetur Gen. XVII. 7. Ubi Deus Abrahamum hoc modo alloquitur: Et confirmabo fœdus meum inter me & inter te inter que femen tuum poít te in generationibus fuis fœdere perpetuo, ut fim (fcilicet) tibi Deus & femini tuo poít te. Poítterius I. Cor. VII. 14. Si quis frater uxorem habet infidelem, qua confentiat ad habitandum cum eo, ne eam dimittito: Et uxor, qua habet virũ infidelem, qui confentiat ad habitandum cum eã, ne eum dimittito. Maritus n. infidelis fanctificatus eít in uxore, & uxor infidelis fanctificata eít in viro: alioqui certè liberi veíttri impuri eííent, nunc autem fancti íunt. Hic locus, ait Beza in notis minoribus, facit adverfus catapbaptiítas & eos, qui præcifam falutis caufam ponunt in baptifmo: fidelium enim liberi vi fœderis fancti íunt vel ante baptifmum, accedit autem baptifmus tanquam fanctificatio íeú illum.

XXIIX. Sed neuter locus Reformatis patrocínatur. Quod enim priorem attinet, minimè fequitur: promiffiones Evangelicæ pertinent nõ folum ad ipfos fideles fed etiam ad eorum femen i. e. liberos. E. Statim à nativitate fuã íunt in foedere, antequam baptizentur. Nam ejusmodi promiffiones divinx, eííi univerfales íunt, & omnibus offeruntur, nemo tamen earum fit particeps, nifi mediis, quibus promiffiones illæ ex divina ordinatione annexæ íunt, utatur. Hinc Paulus Rom. IV.

IIIX. Gal.

II. Gal. III. non nisi eos vocat veros Abrahami filios secundum promissionem, qui sunt filii fidei, sive qui imitantur fidem Abrahami. At infantes prius non incipiunt esse fideles, quam baptizantur. *Baptizari enim illis credere est*, ut docet S. August. l. i. de peccatorum meritis & remissione. Unde Petrus cum Act. II. Judæis illam promissionem Abrahamo & posteris ejus factam in mentem revocaret, non propterea remissionem peccatorum eis pollicetur, quod in foedere illo essent, sed tum demum, si resipiscerent & baptizarentur, eis peccata remissum iri dicit.

XXIX. Quod posteriorem locum concernit, admittit quidem ille varias interpretationes sed non talem, qualem habet Beza. Nam eodem sensu dicuntur liberi à parentibus sanctificari, quo sensu dicitur vir infidelis sanctificari ab uxore fidei. At verò vir infidelis non ex eo, quod conjunctus sit uxori fidei, sanctificatur internam sanctificatione; Ideoq; nec liberi ex eo, quod ex fidelibus parentibus oriuntur, sanctitate internam donantur. Rectius itaque alii hunc locum ita interpretantur, ut dicant, Apostolum hic loqui de sanctitate quadam civili, quâ liberi sint sancti i. e. legitimi & non spurii. Poterat enim ejusmodi conjugium, quo infidelis cum fidei cohabitatur, ob diversitatem religionis non videri legitimum. Apostolus igitur informat Corinthios suos atq; ostendit, tale conjugium, si infidelis cum fidei habitare velit, omnino esse legitimum, quia liberi eorum non habeantur spurii sed sancti i. e. legitimi. Alii putant, hunc locum intelligendum quidem esse de verâ & internam sanctitate sed adhuc futurâ, quia per uxorem fidelem fieri potest, ut non solum liberi in Christianâ religione educantur, verum etiam, ut ipse vir infidelis ad Christianismum pertrahatur. Et hæc expositio ipsi contextui est conformis: Versu enim 16. ait Apost. *Ecquid enim nosti uxorem, an virum sis servatura? aut ecquid nosti virum, an uxorem sis servaturus?*

XXX. Coeterum ut paucis quoque dispiciamus, quomodo effectus baptismi à parte adultorum sese habeat, sciendum est, neminem ex adultis ad baptismum admittendum esse, nisi prius sit informatus in doctrina Christiana, eamque praevisa poenitentia publicè fuerit professus. Et quidem in verè credentibus, baptismus gratiam regenerationis, cuius jam ante per verbū facti sunt participes, auget, confirmat & obsignat; in hypocritis verò, qui obicem Spiritui S. ponunt, & poenitentiam ac fidem simulant, nihil quidem confert; quod tamen non obstat, quò minus baptismus à parte Dei sit ratus, quod vel inde perspicitur, quia cùm postea ejusmodi hypocritæ convertuntur, baptismus iterari non debet, sed ante susceptum effectum suum sortitur & gratiam, quæ ante quidem offerebatur, sed non acceptabatur, tunc demum confert. Hinc rectè alicubi ipse Calvinus: *tametsi neq; abluuntur in baptismo impii neq; renovantur, nihilominus vim istam, quod ad Deum, retinet, quia uticunq; gratiam Dei respuant, illis tamen offertur.*

In cap. 3.  
ad Tit.

XXXI. Dicis: Si non regenerantur adulti, quia obicem ponunt operationi Spiritus S. sequitur, vel nullos omnino adultos regenerari & efficaciorē esse adultorum pravitatē actūalem, quàm spiritus regenerantis gratiam & évē. yevav: vel omnes, qui regenerantur, ita natura comparatos esse, ut sine pugna spiritui se sponte submittant. Prius falsum & absurdum, scripturæ & experientia contrarium, posterius etiam planè Pelagianum.

R. I. Non sequi, si propterea adulti non regenerantur, quia obicem ponunt, Ego nulli omnino adulti regenerantur. Etiam si enim in omnium adultorum conversione detur aliqua pugna carnis & spiritus, quæ etiam per totam hanc vitam continuatur, ea tamen non in omnibus est voluntaria & contumax, sed talis in quibusdam, ut per Spiritus S. gratiam tandem superetur. Non omnes itaque convertendi obicem ponunt, sed

sed illi demum, qui Spiritui S. voluntariè & contumaciter repugnant. 2. Non est absurdum, pravitatem eorum, qui hoc modo resistunt, efficaciorè esse *επειτα* Spiritus S. Nam etsi potentia Dei absolutè nemo resistere potest, alia tamen est ratio potentia eius ordinatè, quàm Deus agit secundum ordinem & legem à se præscriptam, quam homo utpote liberum agens omnino contemnere atque sic Deo ordinario modo operanti resistere potest. Et certè, si primus homo supernaturali gratia seu imagini divinæ, quam in creatione adeptus erat, resistere eamque prorsus excutere potuit; quare nunc absurdum sit, eidem gratia, per regenerationem restituendæ resisti vel jam restitutam iterum per peccata regnantia expelli posse? Habemus præterea expressam scripturam, ex qua unicum nunc adduxisse sufficiat. *Ierusalem, Ierusalem trucidatrix Prophetarum & lapidatrix eorum, qui ad te missi sunt, quoties volui congregare liberos tuos quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas & noluit.* 3. Non Pelagianum sed orthodoxum est, asserere, hominem in conversione se sponte seu liberè spiritui submittere, eique non repugnare: si adjiciatur, ut nos semper adjicimus, id non propriis viribus sed Spiritus S. gratia ipsum ad jutum præstare. Plura hac de re vide in disp. nost. de prædestinatione & conversione.

XX XII. Coronidis loco enarrabimus ritus tum olim tum etiamnum in Ecclesiâ adhiberi solitos. Sunt a. illi triplices: Alii præcedunt baptismum, alii comitantur, alii sequuntur. Et quidem in infantum baptismo præmittuntur hi: 1. Petitur nomen infantis. 2. Fit insufflatio cum hac formula verborum: *Exi ab eo immunde spiritus &c.* 3. Signantur signo crucis in fronte & pectore. 4. Dabatur etiam olim ipsis gustandum sal, quem ritum etiamnum pontificii observant. 5. Exorcizatur infans hac formulâ: *Exorcizo te immunde spiritus, in nomine Patris*

*Patris Filii & Spiritus S. ut excas & recedas ab hoc famulo Dei.*

6. Tangebatur sacerdos aures & nares baptizandorum & dicebat Ephata i. e. adaperire. Et hic ritus etiam apud Pontificios adhuc in usu est. 7. Sequitur impositio manuum & benedictio sacerdotalis. 8. Fit abrenunciatio Satanæ. 9. Professio fidei. 10. Ungebantur olim baptizandi, qui mos apud Pontificios etiam nunc obtinet. In adultorum verò baptismo præter dictos ritus adduntur etiam hi. 1. Catechismus. 2. Examen & exploratio. 3. Confessione peccatorum & serijs precibus jungebantur olim etiam jejunia, uti rectè dispositi ad baptismum accederent.

XXXIII. In ipso baptismo adhibentur hæc ceremoniæ. 1. Imponitur nomen. 2. Adhibentur susceptores seu sponsores & fidejussores. 3. Cösecrabitur olim fons baptismi per preces & crucis signum. 4. Iterum renuntiabatur Satanæ & recitabatur symbolum fidei. 5. Sequebatur Trina immersio, quam nunc in asperisionem mutatam esse suprâ diximus. 6. Tempus paschæ & pentecostes erat baptismo ordinarium & solenne, quem ritum post tempora Caroli M. desisse, itidem suprâ monuimus.

XXXIV. Post baptismum sequebantur hæc: 1. Oculum pacis. 2. Unctio Chrismatis, quam Pontificii pro vero sacramento habent, eiq; supernaturalem effectum tribuunt, de quo infra. 3. Dabatur baptizato cereus accensus. 4. Degustabant baptizati lac & mel. 5. Induebantur veste candidâ, eamque octiduum gestabant. Unde etiam Dominica, qua deponebant illam, Quasi modogeniti, item Dominica in albis dicebatur. Hi sunt præcipui ritus, quos vetus Ecclesia in baptismo adhibebat, ex quibus nonnulli jam dudum in desuetudinem venerunt, ita ut etiam Pontificii omnes non observent. Nonnulli etiam, qualis est unctio Chrismatis propter abusum pontificios ab Auctoribus Reformationis prorsus abrogati sunt. Etsi enim ejusmodi ceremonias propter antiquitatem meritò veneramus & multas ex iis in nostris etiam Ecclesijs retinemus, cum tamen non à Deo sed ab Ecclesiâ institutæ sint, & significant tantum gratiam non conferant, à baptismo salvâ manente ejus essentia abesse possunt, quod Pontificii quoque non negant. Tantum de baptismo.



DISPUTATIO THEOLOGICA  
 De S. Sanctâ Eucharistia seu  
 coenâ Domini.

*Agitur in hac Disputatio  
 de CONTRARIIS  
 SENSIBUS  
 REFORMATIS*

I.



Ucharistiam seu coenam Domini exposituri nolumus variis hujus Sacramenti appellationibus partim in S. Literis extantibus, partim communi Ecclesiæ usu receptis nunc recensendis immorari: tales enim passim obvia, quin etiam faciles intellectu sunt: statim itaque ad rem ipsam considerandam accingemur.

II. Instituit hoc Sacramentum ipse Salvator in ultimâ coenâ paulo ante mortem. Cùm enim ex ingenti erga nos amore pro nobis mori & Sanguinem suum effundere, atque sic in propriâ specie ab Apostolis discedere constituisset, voluit se ipsum in aliena specie relinquere, dum videlicet corpus suum pro nobis traditum & sanguinem pro nobis effusum in Sacramento, cùm panis comeditur & calix bibitur, manducare & bibere mandavit, id quæ in mortis & passionis suæ memoriam. Nam æternæ salutis nostræ, quæ Christi merito unicitur, maximè interest, ut hujus mortis & passionis memoria animis nostris jugiter obversetur. Efficacior autem tanti beneficii recordatio excitari non potest, quàm si illud ipsum

A

cor-





corpus, quod pro nobis crucifixum, & ille ipse sanguis, qui pro nobis effusus est, manducandum & bibendum nobis exhibetur. Recordamur quidem etiam mortis Christi, quando historiam passionis audimus vel legimus vel meditamur, sed longè efficacior est ejus memoria, quando non solum historia passionis recitatur, sed etiam quando ipsum corpus Christi præsens sistitur, quod in administratione & perceptione eucharistiæ contingit.

III. Materia hujus Sacramenti duplex est, remota & proxima. Illa est panis & vinum vulgaria & nondum consecrata; hæc panis & vinum consecrata & sacro usui destinata, uti ex verbis institutionis manifestum est. Matth. XXVI. 26, 27, 28. Edentibus autem eis, Jesus cum accepisset panem & benedixisset, fregit eum deditque discipulis & ait: Accipite, comedite: hoc est Corpus meum. Et accepto poculo & gratias actis, dedit eis dicens, bibite ex eo omnes. Hoc est enim sanguis meus novi fœderis, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum. Perinde autem est, sive panis fermentatus adhibeatur, sive azymus, uterque enim verus panis est. Et quidem illo Orientalis seu Græca Ecclesia, hoc Latina seu Occidentalis ab antiquo utitur. Nihil item refert, vinum ne merum sit, an aquâ temperatum. Et si enim vero valde consentaneum est, Salvatorem juxta orientalium morem vino aquâ temperato usum esse, rectè tamen etiam merum adhibetur: Nec id Pontificii, quanquam temperatum vinum usurpant, improbare aut damnare audent:

IV. Caterum per Consecrationem panem & vinum à communi & vulgari usu ad mysticum & Sacramentalem usum traduci nullum quidem est dubium, sed quibus verbis illa consecratio ab ipso Christo peracta sit, & adhuc hodie peragatur,





gatur, controversum est. Nonnulli existimant, Christum panem & vinum olim consecrasse non per benedictionem & gratiarum actionem, sed per hæc verba, cum diceret: accipite, comedite, hoc est corpus meum, bibite, Hoc est sanguis meus &c. Ideoque & hodie ita consecrandum esse. Contra alii tum veteres tum recentiores statuunt, benedictione & gratiarum actione in ipsa institutione & primâ hujus Sacramenti administratione consecrationem illam factam esse, ac proinde precibus Ecclesiæ eam etiamnum fieri; nec ob stare, quòd formula benedicendi & gratias agendi à Christo in particulari non sit præscripta: sufficere enim, quòd ipse benedixerit & gratias egerit, & idem nobis faciendum mandârit; de cætero libertati Ecclesiæ relictum esse, quibus verbis benedictionem & gratiarum actionem illam exprimere velit. Nos etiam si posteriorém sententiam probabiliorem esse putamus, cum nemine tamen seram contentions super hac re recipiamus; Cùm enim utrumque in consecratione adhibeamus & preces fundamus & verba institutionis recitemus, de ipsâ consecratione certissimus, adeoque parum solliciti, utri formulæ ea adscribatur.

V. Inter preces autem, quibus veteres consecrationem fieri existimant, præcipua est oratio Dominica, uti testatur S. Augustinus Epist. 59. ad Paulinum, ubi juxta Paulum 1. Timoth. 11. inter precationem, orationem, interpellationem & gratiarum actionem distinguit. *Multa quippe, inquit, hinc dici possunt, quæ improbâda non sint, sed eligo in his verbis hoc intelligere, quod omnis vel penè omnis frequentat Ecclesiâ, ut preces accipiamus dictas, quas facimus in celebratione Sacramentorum, antequam illud, quod est in Domini mensa, incipiat benedici: orationes, cum benedicatur & sanctificatur, & ad dis-*



*s*cribendum *comminuitur*, quam totam petitionem ferè omnis Ecclesia Dominicâ Oratione concludit. Idem ex Epistola LXIV. lib. VII. Gregorii Magni innotescit, quando ad Gregorium Johannem Episcopum Syracusanum hunc in modum scribit: *In quotidianis Missis alia, quæ dici solent, tacemus, tantummodo Kyrieleyson & Christe Eleison dicimus, ut in his deprecationis vocibus paulò diutius occupemur. Orationem verò Dominicam idcirco mox post precem dicimus, quia mos Apostolorum fuit, ut ad ipsam solummodo orationem oblationis hostiam consecrarent.* Præterea adhibuerunt quoque Veteres alias preces & cum primis eam, quâ Deum Patrem orârunt, ut dignaretur panem illum efficere Corpus, & vinum sanguinem Filii sui, ut ex antiquissimis Liturgiis patet.

*AB*  
VI. Porro quod *formam* hujus Sacramenti attinet, sciendum est, eam non in unâ aliquâ actione consistere, sed *ex pluribus actionibus constare & integrari.* Salvator enim non solum benedixit & consecravit, sed etiam *benedictum panem & vinum distribuit*, dicens, accipite, edite & bibite, idque ederunt & biberunt Apostoli, quæ omnia *ad rationem formalem pertinent*, cum primis ultima eam maximè constituunt: *Factâ enim consecratione, nondum habeo totum & perfectum Sacramentum, sed necesse est, ut distributio quoque fiat*, atque panis benedictus comedatur & vinum benedictum bibatur: nec enim ante de Sacramentali Corporis & Sanguinis Christi præsentia in verbis institutionis promissâ certi esse possumus, quàm actus distribuendi, comedendi & bibendi accedant, quippe qui in hoc Sacramento ultimi sunt, adeoque illud maximè complent & perficiunt. Hinc *Georgius Casander*, etsi cæteroquin in eo errat, quod *formam Eucharistiæ in consecratione constituat*, atque eâ *peractâ corpus & Sanguinem*  
Chri-



Christi verè adesse putet, nihilominus tamè veritate coactus in Consult. ad art. X. Aug. Confess. tandem fatetur: *si virtutem & efficaciam spectes, quâ Christo unimur & incorporamur hoc Sacramentum ut reliqua sacramenta, in ipso usu & actione (quæ est sumptio seu manducatio & potio) perfici, quæ externa sumptio sacramentum est interna & spiritualis manducationis & potionis corporis & sanguinis Christi, quâ fit, ut Christo uniamur & incorporemur &c.*

VII. Sed hic i. quæritur, utrum Corpus & Sanguis Christi, quando iis ut Spirituali cibo & potu anima nostra in Eucharistia pascitur & potatur, revera præsentia sint, an verò realiter & Substantialiter in cælo tantum existentia fide percipiuntur, & ita metaphoricè solum corpore ejus edatur & sanguis bibatur.

IIIX. Prius nos cum tota primitiva Ecclesia asserimus; posterius Reformari communiter docent. Sententiam nostram B. Calixti verbis sic explicamus. *In Sanctâ Eucharistiâ sive cænâ Dominicâ adsunt, & quando editur panis, editur quoque corpus (vocibus propriè & non figuratè acceptis), & quando bibitur vinum, bibitur quoque Sanguis Domini, non quidem mediante solum fide, per quam citra omne Sacramentum Corpus Christi à fidelibus editur & Sanguis bibitur, non tamen propriè sed metaphoricè, nulloque inter esum & potum, quale hic manifestissimum est, discrimine; nec mediante vel transsubstantiatione panis vel ubi-quitate Corporis Christi vel ejus locali aliquâ inclusione, alligatione aut commixtione; nec interventu descensus & ascensus: sed modo supernaturali, quem simpliciter & in solidum Divina omnipotentie imputamus & committimus, nobis aliàs plane incognito, ineffabili, incomprehensibili & indeterminabili, verè tamen & secundum ipsam Substantiam.*

CONTRU. cum  
REFORMATIS.



tiam. Hoc enim ut credamus, Christo simpliciter & perspicue affirmanti debemus.

I X. Non Possumus hic silentio præterire, quod Laudatus Calixtus in tractatu quodam Germanico, de Reformatis, cum ipsis Colloquio Thorunensi sententiam nostram, verbis jam adductis proposuisset, hunc in modum refert: Wann mich sat same Anzeige und Worte nicht triegen / sind domals unter den Reformirten fürnehmem Herrn und verständige Leute hiemit friedlich gewesen. Idem sane laudandum est in Theologis Heidelbergensibus, qui in nuperâ suâ declaratione de præsentia Corporis & sanguinis Christi in sacrâ coenâ percipiendi, de perceptionis modo, ejusdemque subiecto talia proferrunt, quæ ab orthodoxâ doctrinâ non multum discrepant. Sufficiat nunc pauca saltem & quidem priora ipsorum verba adduxisse. Was die Præsentiam, ajunt, oder Gegenwertigkeit des Leibes und Blutes unsers Herrn Christi im heiligen Abendmahl betrifft / so gestehen wir / daß im heiligen Abendmahl nicht nur die eusserlichen Elemente oder blosser Zeichen des Brods und Weins / auch nicht nur die Krafft und Wirkung des Leibes und Blutes / sondern daß der wahre wesentliche Leib / so für uns gegeben / und das wahre wesentliche Blut Jesu Christi selbst / so für uns vergossen worden / warhafftig / wesentlich / ja verissimè, realissimè, efficacissimè gegenwertig sey. Addunt in sequentibus,

N<sup>5</sup>.  
p. 19. § 25.

||  
||

se in hoc loco non intelligere imaginarium, tropicum seu figuratum sed verum & substantialie Christi corpus; modum perceptionis alium non statuere quàm sacramentalem, quo utraque & terrena & cælestia simul exhibeantur, item, subiectum perceptionis esse vocatos tum dignos tum indignos, tum credentes tum hypocondritas. Utinam verò omnes Reformati ita essent anima-



nimati, posset certè ardua controversia, quæ inter nos & illos hoc in articulo agitur, divinâ favente gratiâ facilè componi.

NB

X. Probamus autem sententiam nostram hoc Syllogismo: Quodcunque exhibetur ad manducandû & bibendum & ab iis, quibus exhibetur, manducatur & bibitur, id realiter & substantialiter præsens sit necesse est. Atqui corpus & Sanguis Christi in S. cœna exhibentur ad manducandû & bibendum & à communicantibus manducatur & bibitur. Ergo Corpus & Sanguis Christi in S. Cœna realiter & substantialiter præsentia sint necesse est. Major ex lumine rationis evidens est. Minorem ex verbis institutionis probamus. Accipite, edite, hoc est corpus meum. Bibite, hoc est sanguis meus. Verba enim edite, bibite, item corpus meum & sanguis meus propriè accipimus juxta communè & veram regulam, à propriâ verborum significatione non esse recedendum, nisi urgens cogat necessitas.

XI. Contrâ Reformati communiter negant minorem, & quare in hoc loco à proprietate verborum recedendum sit, potissimum has adducunt rationes, 1. quia corpus naturale & spiritum non potest simul in cœlo esse & in terrâ, 2. quia disparatarum de disparato propriè affirmari nequit: præsupponunt enim, propositionum harum, hoc est corpus meum, hoc est sanguis meus, subiectum hoc in priori nihil aliud significare quàm panem, & in posteriori nihil aliud quàm vinum, ut sensus sit: hic panis est corpus meum, hoc vinum est sanguis meus. Primam rationem proponit Wendelin. his verbis: *Christus habet unum duntaxat & finitum corpus. Ergo Christi corpus non est in, cum, sub pane, ubicunque cœna administratur. Ratio consequentiæ: Nam si, ubicunque cœna administratur, Christus corpore suo esset in, cum & sub pane: sequeretur, aut plura habe-*

Libr. I.  
Christ.  
Theol.  
c. 23.



*habere corpora, aut si unum duntaxat habet corpus, id infinitum esse, ut ubique possit esse. Si dicas: Christi corpus, etiamsi in omnibus locis existat, ubi Eucharistia administratur, nihilominus manere finitum, regerit Wendelino: Falsum hoc, ut suo loco vidimus: Interim is hoc persuadeant adversarii, qui credunt nullam esse tam evidentem contradictionem, quin conciliari vel certè eludi possit.*

XII. Argumentum in formam Syllogisticam redactū *Argu*ta habet: O. evidentem contradictionem implicat, id simpliciter impossibile est, adeoque nec per DEI omnipotentiam fieri potest. Corpus Christi in pluribus locis simul existere, evidentem contradictionem implicat. E. Corpus Christi simul in pluribus locis existere simpliciter impossibile est, adeoque nec per DEI omnipotentiam fieri potest. Major extra omnem controversiam est posita. Minor probatur ex natura corporis humani, quod quia unum duntaxat & finitum est, certo loco circumscribitur & ubicunque existit, sub sensum cadit. Ex quo principio sic porro concluditur: O. corpus naturale humanum, ubi realiter præsens est, loco circumscribitur & sub sensum cadit. Christi corpus est naturale & humanum corpus. E. Christi corpus, ubi realiter præsens est, loco circumscribitur & sub sensum cadit. Minor ex Sacra Scriptura notum est. Major est principium Philosophicum, quod hinc rejici aut in dubium vocari non potest; Nam sæpissimè contingit, imo necesse est, ut in summis fidei mysteriis ex Scripturâ eruendis principium Philosophicum adhibeatur. Exemplo nunc sit hoc unicum argumentum, quo contra Arianos probatur, Christum esse ejusdem essentia cum Patre: Omnis verus & naturalis filius est ejusdem essentia cū Patre suo. Christus est verus & naturalis DEI filius. E. est ejusdem essentia  
cum



cum DEO Patre. Sicut igitur in hoc posteriore Syllogismo ex  
 majore, quæ Philosophiæ, & minore, quæ Theologiæ est, sequi-  
 tur conclusio Theologica vera; Ita etiam conclusio prioris  
 Syllogismi vera erit ob eandem rationem. Quod si verum est,  
 ulterius ita argumentari licet: Quodcunque corpus in S. eu-  
charistia nec loco circumscibitur, nec sub sensum cadit, illud  
in ea non est substantialiter præsens. Atqui Corpus Christi in  
 eucharistia nec loco circumscibitur nec sub sensum cadit. E.  
 corpus Christi in eucharistia non est substantialiter præsens.

*Argu*

XIII. Ad hæc quàm respondeamus, prius sciendum &  
 benè notandum est, principium Philosophiæ, quantum ad  
 hoc, in duplici esse differentia. Quædam enim sunt absolutè //  
& simpliciter necessaria, ita ut per DEI omnipotentiam se ali-  
 ter habere nequeant, propterea, quod eorum opposita mani-  
 festam contradictionem involvant, qualia sunt: omnis ve-  
rus & naturalis filius est ejusdem essentiæ cū patre suo. Quod-  
 cunque exhibetur manducandum & bibendum, & ab iis, qui-  
 bus exhibetur, manducatur & bibitur, id illis ipsis realiter præ-  
 sens est. Deinde quædam sunt secundum quid & Physicè sal- //  
tim necessaria, quæ quidem si naturales & secundas causas re-  
 spicias, aliter se habere nequeunt, quia tamen à DEO depen-  
 dent, non esse vel mutari ab eo possunt; qualia sunt: Nulla  
virgo parit. Ignis materiæ combustibili ad motus urit. Nam  
 ad generationem hominis necessariò requiritur congressus  
maris & foeminae. Ignis, applicatâ re ustibili, non potest eam  
non combuere; per absolutam tamen DEI potentiam secun-  
da Divinitatis persona sine concursu viri homo facta est, &  
igni in fornace Babylonicâ nihil juris fuit in tres sanctos viros.

XIV. Hisce præmissis dicimus, prioris generis princi-  
pia, quæ videlicet absolutè & simpliciter sunt necessaria in ar- //  
gumen-



gumentis Theologicis rectè adhiberi posse, quoniam ex illis, quando cum Theologicis propositionibus conjunguntur, semper & necessariò sequitur vera conclusio. At verò posterius generis principia, quæ nimirum secundum quid & Physicè saltem sunt necessaria, minimè sunt idonea ad id, ut cum principiis Theologicis conjungi ex iisque conclusiones Theologicæ deduci queant, præsertim si in Syllogismo loco majoris propositionis ponantur. Quemadmodum enim in prima figura ex majore particulari non rectè concluditur, ita etiam in argumentis Theologicis ex principio physicè saltem necessario & majoris loco posito non potest sequi vera conclusio, quia ejusmodi major aut particularis est in primâ figurâ, aut si universaliter sumatur, falsâ evadit. Jam vero principium §. XII. propositum: O. corpus naturale humanum, ubi realiter præfens est, loco circumscribitur & sub sensum cadit, in eorum censum venire, quæ non absolute sed secundum quid & physicè saltem necessaria sunt, vel inde patet; quòd loco circumscribi & sub sensum cadere, non sit de essentia corporis naturalis: neque enim extremum cœlum est in loco, nec aër videtur aut palpatur, cum tamen utrumque corpus naturale sit.

XV. Excipit hic Massonius asserens: se argumenta Philosophica juxta ductum scripturæ adhibere eodemque argumentandi modo uti, quo usus est Christus Luc. XXIV. Darumb schliessen wir / inquit, auß dem Munde Christi / der uns auff die Natur eines Leibes weist / also: Christi Leib wird gesehen und gefühlet. Ergo ist es ein wahrhaftiger vnd natürlicher Leib. Also schließt Christus / und also schliessen wir auch. Und wiederumb: Wo Christi Leib ist / da wird er gesehen und gefühlet. Im Brod des Abendmahls wird Christi Leib nicht gesehen noch gefühlet. Ergo So ist Christi Leib nicht im Brodte. Sollte dieses

Argu.





Argument nicht gelten / so müste Christus Luc. 24. Unrecht geschlossen haben: Sehet meine Hände und Füße. Ergo bin ich kein Geist / sondern ein wahrhaftiger Mensch / habe meinen vorigen wahrhaftigen Leib. Aber Christus hat recht geschlossen / und wir mit ihm. Item. Und sol der Doctor (Hoc) wissen / daß wir ihm im Nahmen des Herrn Trost und abermal Trost bieten / daß er uns dieses argument (so wir aus Christi Munde führen) richtig auflöse: Nämlich / Christus hat durch das sehen und fühlen die Wahrheit seines Leibes erwiesen. Ergo So thun wirs auch gleicher massen / und beweisen hiermit / das Christi Leib seiner Natur nach sichtbar und fühlbar sey / werde allezeit von denjenigen gesehen / denen er ohne Hinderniß recht zu gegen ist. Hactenus Massonius.

XVI. Sed profecto difficile non est ad hæc respondere, *R*  
 modo observetur, argumentum Christi & ratiocinationem Massonii toto differre cœlo. Nam primò hic diversissimæ occurrunt quæstiones. Illa enim, de qua inter nos & reformatos controvertitur, est merè Theologica, quæ ex præmissis naturaliter notis & sensibus obviis probari nec potest nec debet. Etenim hic non quæritur, utrum Corpus Christi naturali modo in S. Coena præsens sit, sed hoc est in quæstione, an prorsus nullo & ne supernaturali quidem modo substantialiter & realiter præsens sit? At vero Luc: XXIV. de eo quæstio erat, an corpus, quod in medio discipulorum stabat, verum & naturale corpus esset, an phantasma, quæ cum naturaliter & sensuum iudicio decidi posset, facile intelligitur, eam nõ esse mere Theologicam. Quin videtur argumentum Christi potius esse xal' ἀποστολικὸν quàm κατὰ πρᾶγμα: Erant enim tum Apostoli adhuc homines simplices, apud quos magnam vim habebat sensuum evidentia, uti elucet ex discursu Thomæ Joh. XX.



qui non nisi sensuum testimonio convinci volebat. Posito itaque, principium hoc: Q. palpatur & videtur, est verum & naturale corpus, non esse absolute necessarium, rectè tamen ex eo, tanquam ex principio concesso concludit Christus, atque hac ratione Apostolos de resurrectione suâ dubitantes convincit.

2 XVII. Secundò, modus quoque argumentandi Massonii diversus est ab eo, quo Christus est usus. Argumentum enim Christi ita habet: Quicquid videtur & palpatur, illud est verum corpus, non phantasma. Atqui meum corpus videtur & palpatur. E. meum corpus est verum corpus, non phantasma. Massonius v. hanc propositionem, Quicquid videtur & palpatur, illud est verum corpus, convertit simpliciter hoc modo. O. verum & naturale corpus videtur & palpatur & sic ex medio negativo concludit, cum tamen Christus medio affirmativo sit usus. Perinde est, ac si quis ex hoc: Quicquid est animal, est corpus. Leo est animal, E. Leo est corpus, ita concludat: Quicquid est corpus est animal. Lapis non est animal. E. Lapis non est corpus. Posterior modus argumentandi cum fallus sit, Massonii quoque ratiocinatio subsistere haud potest. Est enim utriusque par ratio. Plura hac de re vide in Dn. D. Johannis Musæi lib. II. de usu principiorum rationis in controvers. Theol. C. XVI. & seq. Unde hæc pauca excerpimus.

ab. XVIIII. Dicis: Etiam si concedatur, per DEI omnipotentiam fieri posse, ut corpus humanum alicubi existens nec videatur, nec loco circumscribatur, impossibile tamen esse, ut idem in pluribus locis simul existat: hoc enim, cum sine corporis multiplicatione fieri nequeat, nihil aliud esse, quam corporis unitatem tollere ejusque naturam evertere. Resp. Non sequitur. Corpus humanum in pluribus locis simul præsens est.



est. E. Multiplicatur. Nam si anima rationalis sine sui multiplicatione in pluribus locis, id est diversis & distinctis corporis partibus, ut in capite, in manibus, in corde, in pedibus naturaliter simul existit, quidni per omnipotentiam Divinam fieri possit, ut Christi corpus idque glorificatum salvâ manente ejus essentia & unitate in pluribus locis simul præsens sit? Et certe si id impossibile statim est dicendû, quod primo intuitu rationi ita videatur, eâdem operâ præcipua fidei capita everti & negari possunt, uti etiam ea Photiniani ex hoc ipso quamvis falso fundamento evertunt & negant. Et sanè plus difficultatis habet, quod e. g. una eademque numero essentia divina sine sui multiplicatione sit in tribus realiter distinctis personis, quàm quod corpus sine sui multiplicatione in distinctis locis, quæ corpori extrinseca sunt, statuatur. Et qui prius nobiscum credunt, illi profectò non habent, cur posterius negent: verba enim institutionis æque perspicua sunt ac illa dicta, ex quibus mysterium Trinitatis probatur.

XIX. Præterea ita argumentamur: si Christus aspectabili formâ post suum in cœlos ascensum in terrâ comparuit, & sic in pluribus locis simul existit, fieri etiam potest, ut idem in cœlis pariter ac in iis locis, ubi Eucharistia administratur, sit præsens. Sed verum est prius, E. & posterius. Consequentia est evidens. Minor probatur ex apparitione Christi Paulo facta. Actor. IX. 3. & 4. Quum autem iter faceret (Saulus) factum est, ut appropinquaret Damasco: & repente circumfudit eum ut fulgur lux è cœlo. Et quum cecidisset in terram, audivit vocem dicentem sibi, Saul Saul, quid me persequeris? Dixit autem, quis es Domine? Dominus autem dixit: Ego sum Iesus, quem tu persequeris &c. Jam verò Christum in cœlis aliàs existentem & ante extremum diem in visibili forma non rediturum,

turum, in hac apparitione Paulo humi prostrato quoque fuisse presentem ex eo constat, quod ipse Paulus sese oculatis resurrectionis Dominicæ testibus annumeret. i. Cor. XV. 8. cum ait: *Ultimo vero omnium velut abortivo visus est Christus etiam mihi.* Consequens igitur est, Christum secundum corpus suum aliquando in pluribus locis simul extitisse, quod erat probandum.

XX. Cæterum, quod alteram rationē attinet, ob quam Reformati à proprietate verborum institutionis discedendum esse putant, eam Wendelinus sic exponit: *Prioris propositionis*, inquit, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur, tres sunt partes, Subjectum, Prædicatum & Copula. Subjectum est HOC, quo Christus significat panem, quem de mensa accepit, fregit, & distribuit.* Quam sententiam probaturus Wendelinus inter alia, hoc utitur argumento: *Quod Christus suis manibus de mensa solum accepit, fregit & distribuit, id solum significat demonstrativum HOC. Atqui Christus de mensa manibus suis solum accepit panem, eumque fregit & distribuit. E. Demonstrativum HOC significat solum panem. Assumptio patet ex historia institutionis: Et si Christus præter panem, aliud quiddam suis manibus accepisset & fregisset, sine dubio id fuisset ipse corpus. Atqui corpus suum Christus non accepit: siquidem videntibus discipulis, suo loco id ad mensam sedit mansitque: multo minus id fregit, quod à Iudæis demum erat frangendum per crucifixionem.*

XXI. Resp. I. Ad maiorem eam negando. Nam demonstrativum *hoc* in verbis Christi: hoc est corpus meum, præcisè & in casu recto non significat panem, sed corpus Christi, confusè tamen & sub communi ratione sumptum. Ufus enim hic est Christus propositione exhibitivâ, cujus similes  
com-



communi usu satis sunt frequentatæ e. g. cum alicui trado vinum poculum contentum, & dico bibe, hoc est vinum, facile intelligitur per voculam hoc, non poculum præcisè & in se spectatum, sed saltim confusè & sub generali ratione significari id, quod per prædicatum sub ratione propriâ exprimitur, nempe vinum. In ejusmodi enim propositionibus, ubi subjectum est ambiguum & confusum tantum rei, de quâ agitur, gignit conceptum, semper respiciendum est ad prædicatum, ex quo hic maxime locum habet Logicorum regula: Talia sunt subjecta, qualia permittuntur à prædicatis. Sed excipit nonnemo; si demonstrativum hoc e. g. in verbis institutionis: hoc est corpus meum, significat corpus Christi, tunc propositione illâ esse identicam, cum idem de eodem prædicatur. Resp. id non sequi. Nam non omnis statim proposito est identica, cum idem de eodem quocunque modo prædicatur, sed illa demum, in quâ idem sub eodem conceptu de eodem prædicatur, qualis est: Ensis est gladius, homo est homo. At verò cum dico: homo est animal rationale, propositio non est identica, quia idè de eodem sub diverso conceptu prædicatur: alterum enim definiti, alterum definitionis rationem obtinet. Ita quoque in verbis institutionis, hoc est corpus meum, prædicatur quidem idem de eodem, sed sub diverso conceptu: in subjecto enim denotatur corpus Christi confusè, sub ratione communi, in prædicato verò idem determinatè sub ratione specificâ significatur. Falsum igitur est ejusmodi propositiones exhibitivas esse tautologicas.

XXII. II. Minor quoque quoad tertium membrum, si videlicet sensus ejus hic sit: Atqui Christus solum panem distribuit, id est, discipulis suis exhibuit & manducare præcepit,  
 à no-

à nobis negatur. Etenim quæ probationis loco adducit Wendelinus, ea ad duo priora membra spectant & à nobis conceduntur. Tertium autem in minore, quod probari debet, & maxime controversum est inter nos & Reformatos, non probat, sed silentio involvit Wendelinus. Quod satis est indicio, ipsum omni probatione destitui. Nos vero contrarium ex verbis institutionis pronâ consequentiâ deducimus hoc modo: si Christus id, quod discipulis suis exhibuit & comedere mandavit, expressis verbis vocat corpus suum, sequitur, eum præter panem etiam Corpus suum ipsis exhibuisse & comedere mandasse. Sed verum est antecedens E. & consequens.

XXIII. Porro argumentatur Wendelinus ita: Paulus expressè interpretatur demonstrativum HOC de pane: dum verba Christi: Hoc est corpus meum, exponit per hæc: panis est communicatio corporis Christi 1. Cor. X. 16. Quod si per panem Apostolus vel Christus intellexisset complexum ex pane & corpore Christi corporaliter (Sacramentaliter) unitis; sensus verborum Christi hic esset: Panis una cum corpore meo est corpus meum, seu panis & corpus meum sunt corpus meum vel communicatio corporis mei, quod quàm sit absõnum, nemo non intelligit.

*R.* Resp. I. Falissimum est, Apostolum demonstrativum hoc expressè interpretari de pane, aut hic explicare, quid vox tæto significet, aut utriusque propositionis Christi & Pauli eundem esse sensum. Sed potius ex verbis illis, cum Paulus mutato subiecto etiam prædicatum mutat atque dicit, poculum, cui benedicimus esse communicationem sanguinis Christi, sequitur, eum, qui poculum tale sumit, participem fieri sanguinis Christi, & cum idem etiam de pane dicit, itidem sequitur, eum, qui panem benedictum sumit, participem fieri corporis Christi. Tantum itaque abest, ut hic locus Wendelini opinioni patro-



patrocinetur, ut potius ei maximè contrarius sit; quippe ex quo realis Corporis & Sanguinis Christi præsentia haut obscure colligitur. 2. Nos non asserimus, demonstrativum *hoc* notare complexum ex pane & corpore, & quidem utrumque in casu recto, sed hoc dicimus, illud unum saltim significare in casu recto, nempe Corpus Christi confusè ita sumptum, alterum verò, panem videlicet, in casu obliquo, ut sensus sit: Hoc quod cum pane exhibetur, est corpus meum. Ex quo patet, propositiones illas, quas tanquam absurdas neçit Wendelinus, non esse nostras, nec ex nostrâ sententiâ sequi. Adfert quidem cit. loc. duo alia adhuc pro opinionis suæ defensione argumenta, sed quoniam alterum vicio in forma laborat, ad alterum verò responsio ex jam dictis manifesta est, ea nunc sicco præterimus pede.

X XI V. Præterea, si Christi verba figurata essent, & ita intelligenda, uti communiter Reformati interpretantur scilicet nos Corpore Christi ad vitam æternam per fidem pasci, sicut pane ad hanc naturalem nutrimur, adeoque in verbis institutionis corpus Christi sumi pro signo & simbolo tantum corporis Christi, certè non dixisset: Hic panis est corpus meum (talisenim locutio non solum à communi loquendi modo aliena est, sed ei etiam repugnat) sed contra: corpus meum est panis. Idem in quo proprietates (sunt verba Calixti) quam exprimere cupimus, magis perspicua & vulgo nota est, de eo, in quo minus perspicua vel nota est, predicatur, non contra. Sic quem robustum & animosum esse indicamus, eum leonem, quem vafrum, eum vulpem solemus dicere, quòd leonis robur & vulpensi n. pis astutia pridem omnibus innotuerint. Si itaque Servator docere voluisset, corpus suum, modo, quo paulo ante expositum, alimoniam esse spiritualem, utique dixisset, corpus meum est panis; nam

Consider.  
Doctrin.  
Reform.  
in Colloq.  
Thorn.  
XIII.

*nam in pane vis alendi est notissima: sicuti alibi dixit, Ego sum panis vita. Item, Ego sum vitis vera, quandoquidem in vite vis palmites vegetans manifesta est. Hic omnia sunt contraria; neque enim dicitur, corpus meum est panis, sed in verso ordine, panis est corpus meum. Sunt complura alia, quibus vis quedam inest reficiendi animum, & proinde tropicè & per metaphoram rectè dici possunt panis, qualia sunt studium Philosophia, elegantia sermonis, meditatio rerum sacrarum, predicatio divini verbi & evangelii. Sed de his omnibus subiecti locum occupantibus metaphoricè predicatur panis; & sic satis intelligor, quid mihi velim, si dicam, Philosophia est meus panis; atque ita de reliquis. Ut autem panis subiecti vicem fungatur, & Philosophia predicati, est contra omnem loquendi consuetudinem, & enunciatio nem reddit vel difficilem intelligi, vel falsam. Nam ut vera sit, necesse est panem itidem accipi figuratè & metaphoricè, hoc videlicet modo, Aliquis panis metaphoricè acceptus est Philosophia, est elegans sermo &c. Si panis accipiatur propriè, tum plane falsum fuerit, si dixeris, Panis est Philosophia: Omnium autem minimè offenso sensibili & materiali pane, rectè quisquam dicere poterit, Hoc est Philosophia. Quum itaque panis propter analogiam & convenientiam alendi ex se & sua natura non magis sit symbolum unius, quàm alterius, non magis corporis Christi quàm Philosophia vel cujuscunque rei, quàm animus reficiatur, sicut non obstante analogiâ illâ prorsus incongruum fuerit, offenso vel porrecto pane dicere, Hoc est Philosophia; ita quoque dicere, Hoc est corpus Christi. Qua quidem res ex se suaque naturâ ita est comparata, ut sit alterius peculiaris rei imago, figura vel signum, de illa hoc ipsum signatum predicari potest: nihil enim secundum se est aliud, quàm talis signati signum. Sic ostendendo effigiem ad representandum Titium factam, dicimus hoc est.*





est Titius; sed non ita se habet panis respectu corporis Christi,  
nempe ut ad illud peculiariter & distinctè signandum sit factus  
vel comparatus. &c.

XXV. Caterum convinci possunt Reformati ex pro-  
priâ ipsorum hypothesi: Communiter enim hodie docent,  
se panem & vinum non facere nuda signa & symbola Corp-  
oris & Sanguinis Christi sed talia, quæ simul verum & substan-  
tiale Corpus & Sanguinem Christi nobis exhibeant. Fatetur  
hoc expressis verbis Calvinus aliquoties in suis scriptis. Nos  
unicum saltem locum nunc notamus. Comment. in Caput  
XXVI. Matth. sic ait: Verè in cæna datur nobis corpus Christi,  
ut sit animis nostris in cibum salutare; hoc est substantiâ Cor-  
poris Christi pascantur animæ nostræ, ut verè unum efficiamur  
cum eo. Et rursus: non ergo vacuum & inane signum nobis pro-  
ponitur sed verè carnis & sanguinis Domini sicut participes, qui  
fide promissionem hanc recipiunt. Huic sententiæ subscribunt  
Confessiones, Helvetica, Gallica, Anglica, Belgica (vide D. Jo-  
hann. Crocii Comm. de August. Confess. societate p. 364. &  
seq.) & nuper etiam Thorunensis: Ultima verba sunt: Ne-  
quaquam statuimus nuda, vacua, inania signa, sed potius id, quod  
significant & obsignant, simul verè exhibentia, tanquam certis-  
sima media & efficacia instrumenta, per quæ corpus & Sanguis  
Christi adeoque Christus ipse cum omnibus suis beneficiis, singu-  
lis vescentibus exhibetur seu offertur, credentibus verò confer-  
tur, donatur, & ab ipsis in cibum animæ salutare & vivificum  
acceptatur. Hinc Wendelinus: Falluntur igitur, & fallunt  
Lutherani, dum putant, & aliis conantur persuadere, veram &  
realem Corporis & Sanguinis Christi in cæna præsentiam à no-  
bis planè nullam agnoscî. Nunc ita argumentamur: Si in S.  
cæna communicantibus non dantur nuda signa, sed talia,  
quæ

supra p. 6.

NS

NS

vide p. 5 h. d. 19.

Libr. I.

Christ.

Theol. "

c. XXIII.

th. XVI.



quæ verum & substantiale corpus & sanguinem Christi simul exhibent, sequitur corpus & sanguinem Christi in verbis institutionis esse propriè accipienda & non pro signis & symbolis tantùm corporis & sanguinis Christi. Sed verum, est antecedens E. & consequens. Ratio majoris est: quia quod tantùm signum & symbolum est corporis, id non est verum & substantiale corpus ad prædicamentum Substantiæ pertinens. Cum itaque hæc duo pugnēt, scilicet communicantibus dari verum & substantiale Corpus Christi, & idem corpus in verbis institutionis non nisi pro signo accipi: Alterum eligi oportet: Aut statuendum est, corpus Christi in verbis institutionis propriè capi, aut dicendum, nudum signum & symbolum communicantibus dari. Etenim communicantibus exhiberi verum Corpus & sanguinem Christi, unde probabis nisi ex verbis institutionis? Jam si dicas, prædicatum in verbis Christi: hoc est corpus meum, impropriè & pro signo tantùm accipiendum esse, non video ex quo fundamento affirmare possis, verum Christi corpus in Eucharistia exhiberi, sed dicendū potius, panem & vinum esse nuda signa præsentia Corporis & sanguinis Christi destitura. Quod si verò utrumque asseras, in faciem tibi contradicis, uti etiam sibi contradixit Calvinus, dum quod alibi rectè affirmat, his, quæ nunc subjungo, verbis iterum negat. Quia tamen, inquit, corpus Christi, ut fert humani corporis natura & modus, finitum est, & cælo ut loco continetur, necesse est, à nobis tanto locorum intervallo distare, quanto cælum abest à terra. Contradicit etiam sibi alii, ex quibus Wendelinus præterea, quæ supra ex ipso adduximus lib. I. Christ. Theolog. Cap. XXIII. th. XVI. hanc admittit conclusionem: Christi corpus est corporaliter in cæna Domini, quam deducit ex his præmissis: Panis est corporaliter in cæna Domini.

Consens.  
cum Tigurivis  
c. 25.

ni.



*ni, Panis est Christi corpus E. Christi corpus est corporaliter in  
cœna Domini. Contra eod. cap. & thes. Si Christus in cœlum a-  
scendit quo ad corpus, ibique manet ad extremum usque diem:  
utique jam in terra & in pane non est suo corpore.*

XXVI. Porro si hunc in modum quis argumentetur:  
Qui dicunt tantum distare verum Christi Corpus & Sanguinem à pane & vino cœnæ Dominicæ, quantum distat cœlum à terra: ii veram & realem corporis Christi in cœna præsentiam nullam agnoscunt. Atqui Calvinus & Wendelinus dicunt, tantum distare verum Christi Corpus & Sanguinem à pane & vino cœnæ Dominicæ, quantum distat cœlum à terra. E. Resp. Wendelinus majorem esse falsam, vel non nisi de locali & corporali ipsius corporis proprie dicti præsentia veram esse. Spiritualem autem præsentiam non impediri per localem distantiam rerum signatarum & signorum. Per hanc spiritualem Præsentiam, ait, Corpus Christi non loco cœnæ, sed fidei cœnantium præsens esse, eamque tribus quasi gradibus absolvi 1. existentia præspirituali sensu fidei. 2. Apprehensione per fidem. 3. Unionem cum fidei. Si regeras ejusmodi spiritualem præsentiam, quæ corpus Christi fidei dicitur præsens, non esse realem, conatur id Wendelinus sic probare: Ea præsentia est vera & realis, quæ est à causis veris & realibus. Atqui præsentia corporis Christi spiritualis est à causis veris & realibus, nempe à symbolo Sacramentali, spiritu & fide. Ergo præsentia corporis Christi spiritualis est vera & realis. Resp. Maior est falsissima. Nam quod objective & intentionaliter tantum præsens est, illius præsentia etiã est à causis veris & realibus, nec tamen id statim est realiter præsens. Quando enim aliquid concipio, id intellectui meo repræsentatur, per speciem intelligibilem, & haut necessarium est, ut quoad rem ipsam præsens sit. Hæc enim sæpe longissimè

mè abest & distat, quin etiam saepe est non ens & secundum esse suum vel desit, vel adhuc futurum est, vel existere repugnat, quale est ens rationis, quod tantum objective est intellectu. Ad realem verò præsentiam non solum requiritur ipsarum rerum scilicet tum ejus quæ præsens est, tum illius, cui præsens est existentia, sed etiam utriusque propinquitas.

XXVII. Eodem modo cum asseris, tantum distare corpus Christi à loco cœnæ, quantum cœlum à terrâ distat, hoc ipso negas realem præsentiam Corporis Christi in Eucharistia. Nam falsum est, per fidem Corpus Christi in cœlo tantum existens realiter præsens esse in cœna, eo quod illud fidei præsens sit. Talis enim præsentia est objectiva saltim & intentionalis, non realis. Imo cum *fidei oculus in cœna Dominica administratione etiam intueretur Christum in cruce pendentem*, qui tamen *jam olim pendere desierit*, ut loquitur Wendelinus exerc. 104. & sic fides etiam pro objecto habeat id, quod amplius non existit, facile intelligitur, fidem non facere rem præsentem secundum esse & substantiam suam, sed saltim secundum esse intentionale. Præterea hîc non est quæstio, an Corpus Christi fidei aliquo modo præsens sit, sed de eo quæritur, an Corpus Christi in cœna *realiter præsens sit*, & quando panis exhibetur & comeditur, etiam *illud* exhibeatur & comedatur? Hanc verò præsentiam *fidem non posse efficere* vel ex eo constat, quod fides non per se sed per accidens tantum cum Sacramento jungatur; quippe quæ à cœna abesse potest & toties etiam abest, quoties eâ hypocritæ utuntur, salvâ manente Sacramenti integritate. Nam Corpus & sanguis Christi in cœna præsentia sunt & exhibentur *vi institutionis* & non propter fidem seu dignitatem administrantis vel suscipientis, Si enim à fide id dependeret, sequeretur, Sacramento quate-  
nus



nus tali præter signa nihil relinqui; tolleretur quoque discrimen inter Eucharistiam & vulgarem cibum, quem si quis sumens passionem & mortem Domini simul in memoriam revocet atque credat, sicut cibus corpus nutrit, ita meritum Christi, fide à se apprehensum animam suam alere; eodem modo corpore & sanguine Christi, id est, merito & sanguine ejus par-  
to pascitur extra Eucharistiam, quàm in Eucharistia.

X XVIII. Tandem objicitur: *Ex ipseus Servatoris interpretatione, quæ Joh. 6. habetur, manifestum fieri, verba institutionis improprie esse accipienda, & non nisi de spirituali manducatione intelligenda, cum ait: Spiritus est id, quod vivificat, caro autem non prodest quicquam. Verba, quæ ego loquor, spiritus & vita sunt.* Sensum igitur horum verborum esse, carnem Christi in Eucharistia revera non comedi, cum ejusmodi manducatio nihil prosit, sed spiritualem manducationem quæ fide fit, talem esse, quæ vivificet. Resp. 1. in interpretandâ Scripturâ sacrâ ex communi Theologorum sententia hanc regulam esse observandam scilicet *Obscuriora ex Clarioribus esse illustranda,* non contrâ. Jam vero verba institutionis perspicua sunt, & non uno loco sed pluribus continentur & iisdem verbis ubivis proponuntur. Sed locus ex *Johanne* adductus est obscurus: constat enim verbis ambiguis. Unde etiam à Theologis *diversimodè explicatur.* Quam ob causam non potest esse norma interpretandi verba institutionis; quæ si aliter quàm jacent & sonant, intelligenda essent, sine dubio vel ipse Christus vel Apostoli id clarius & distinctius exposuissent. 2. Si ille verborum Christi, uti in objectione prætenditur, esset sensus, Salvator offendiculo Judæorum dicentium: *quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad vescendum?* facile potuisset occurrere ac dicere, *carnem suam non manducari*  
pro-

obj:

7

2

pro-



propriè, sed impropriè & per fidem, sed tantùm abest, ut hoc faciat, ut potius in sermone illo pergat & sanctè adleveret: *Amen, Amen dico vobis nisi ederitis carnem filij hominis & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Quin cùm discipuli ejus quoque offenderentur, dicentes: durus est hic sermo, quis potest eum audire? illis Christus, quibus aliàs mysteria disertius explicare solebat, nihil aliud respōdet nisi hoc: *Hocine vos offendit? quid si igitur spectaveritis filium hominis ascendentem eò, ubi erat prius?* id est, si non potestis credere, quod modò, dum vobiscum versor, caro mea manducanda præberi possit, multò minùs credetis, ubi à vobis factus fuero remotior & in cœlos ascendero. Hinc subjicit: *Spiritus est id, quod vivificat, caro nō prodest quicquam. Verba quæ ego loquor vobis, spiritus & vita sunt.* Quis verò sit genuinus horum verborum sensus, inter Doctores non convenit. Nonnulli ea sic interpretantur: quasi Christus dixisset, caro hominis nudi & vulgari modo comesta nihil prodest, sed mea caro Spiritui, id est Deitati unita & Sacramentaliter comesta vivifica est, seu vitam æternam largitur. Alii per spiritum, modum intelligendi spiritualem, per carnem, modum intelligendi carnalem intelligunt, ut sensus sit, qui carnali modo verba mea intelligit, nihil inde accipit utilitatis, qui verò spiritui incitanti ad fidem verbis meis habendam, etiamsi id enuncient, quod captum humanum superat, non resistit, is salutarem assequitur sensum atque æternæ vitæ, quam promittunt, redditur particeps. Hinc subjicit: *Verba quæ ego loquor, spiritus & vita sunt.* Hæc posterior interpretatio videtur priore melior esse, Christus enim hic non dicit, caro mea non prodest quicquam, sed absolutè, caro non prodest quicquam. Accedit etiam hoc, quod in Saceris Literis caro spiritui opposita non carnem Christi, sed veterem

rem



rem hominem aut carnalem hominis sensum significet. Rectius igitur hæc de carnalibus & perversis hominis cogitationibus & judiciis, quàm de carne Christi accipiuntur.

XXIX. Hactenus ostensum est, nullam sufficientem proferri posse rationem, ob quam à proprietate verborum institutionis recedendum sit. Possemus præterea pro confirmatione sententiæ nostræ testimonia sanctorum Patrum, præsentiam Corporis & Sanguinis Christi uno ore asserentium hic adducere, sed id chartæ angustia nunc non sinit, nec opus esse videtur, ea hic repetere, quæ ex scriptis patrum dudum ab orthodoxis sunt comportata: saltem, quanta vis sit argumenti à testimonio & consensu totius Ecclesiæ petiti, B. Lutheri verbis exponere lubet; qui in literis ad Ducem Borussia Albrecht inter alia sic scribit: *Es ist dieser Articul (intelligit S. Jeneſ: cœnam) nicht eine Lehre oder Auffſas auſſer der Schrift / von edit. anni 1588. Menschen erdichtet / sondern klärlich im Evangelio durch helle / pag. 488. reine / ungezweiffelte Wort Christi gestift und gegründet / und vom Anfang der Christlichen Kirchen in aller Welt biß auff diese Stunde / einträchtiglich geglaubet und gehalten / wie das außweisen der lieben Väter Bücher und Schrift / beide Griechischer und Lateinischer Sprache / dazu der tägliche Gebrauch und das Werck mit der Erfahrung biß auff diese Stunde. Welches Zeugniß der ganzen H. Christlichen Kirchen / (wenn wir schon nichts mehr hätten) soluns allein gnugsam seyn / bey diesem Articul zu bleiben / und darüber keinen Kottengeist zu hören noch zu leiden. Denn es fährlich ist und erschröcklich / etwas zu hören und zu glauben / wider das einträchtige Zeugniß / Glauben und Lehre der ganzen H. Christlichen Kirchen / so von Anfang her / nun über funffzehen hundert Jahr in aller Welt einträchtiglich gehalten hat.*

D

von

von Anfang der H. Christlichen Kirchen/oder were nicht bey allen Kirchen / noch bey der ganzen Christenheit in aller Welt so einträchtiglich gehalten / were es nicht so gefährlich und schrecklich/davon zu zweiffeln/oder zu disputiren obs recht sey. Nun er aber von Anfang her / und so weit die ganze Christenheit ist/einträchtlich gehalten ist/ wer nun daran zweiffelt / der thut eben so viel/als gläubet er keine Christliche Kirche / und verdampft damit nicht allein die ganze H. Christliche Kirche / als eine verdampfte Ketzerinne / sondern auch Christum selbst mit allen Aposteln und Propheten / die diesen Articul da wir sprechen : (Ich gläube eine heilige Christliche Kirche) gegründet haben / und gewaltig bezeuget / nemlich/ Christus Matt. 28. Siehe ich bin bey euch bis an der Welt Ende. Und S. Paulus 2. Timot. 3. Die Kirche Gottes ist eine Seule und Grundfeste der Wahrheit. Et post pauca. Wider der ganzen heiligen Kirchen so lange hergebrachtten und allenthalben gehaltenen Glauben und einträchtig Zeugniß etwas zu lehren gestattet/ so mans wol könte wehren/ist ein unträgliche Last des Gewissens. Ich wolte lieber nicht allein aller Kottengestir / sondern aller Käyser / Könige und Fürsten Weisheit und Recht wider mich lassen zeugen / denn ein Jota oder Tüttel der ganzen heiligen Christlichen Kirchen wider mich hören oder sehen. Ha Aenus Lutherus.

---

### Corollaria.

#### I.

Cum paginae aliis hic essent vacaturæ, placuit ex quadam disputatione Theologica inaugurali de universali merito mortis Christi atque illius corporali præsentia in S. Coena, ante trien-





te triennium in Academia Duisburgensi à Reformatis Theologis conscripta & habitâ, quâ nos vehemèter perstringimur, pauca hæc subjicere: scilicet, tribuunt nobis, ac si statuamus Corpus Christi in sacra cœna ita comedi, ut dentibus comminatur atque in ventriculum deferatur. Expresse enim scribunt, in prima cœna Corpus Christi etiamnum corruptibile, secundum Lutheranos fuisse in pluribus locis scilicet assidens mensæ & simul in ore & stomacho 12. discipulorum. Sed hæc vetus criminatio est, cui dudum obviam iverunt nostrates & quæ mens nostra sit, prolixè pariter ac perspicuè exposuerunt. Quapropter mirari subit, inveniri adhuc homines, qui cõtra suam conscientiam illam resuscitare atque tam impiam doctrinam nobis affingere haut erubescant. Audiatur nunc saltim B. Chemnitius, qui ferè ante seculum in aureo libro, quò fundamenta sanæ doctrinæ de vera & substantiali præsentia, exhibitione & sumptione Corporis & sanguinis Domini in cœna recitat. c. V. sic hac de re scribit. Ex verbis institutionis manifestum est, triplicem esse manducationem in cœna Domini. Prima est manducatio panis, quæ rectè & propriè vocatur Physica. Altera est manducatio Corporis Christi, quæ licet non fiat Physicâ & crassâ ratione, ore tamen juxta verba Christi fit, inquit enim: accipite, manducate, hoc est corpus. Et hac vetustâ appellatione vocatur Sacramentalis manducatio. Tertia est spiritualis manducatio Corporis Christi. Quæ verò de verbo manducandi & de corpore Christi dico, eadem etiam similiter de verbo bibendi & de sanguine Christi intelligi volo. Hisce accuratam de singulis subjicit explicationem: Physica manducatio, ait, & nota & manifesta est, quando sc. cibus ore acceptus, dentibus commolitur, in ore masticatur, per gulam in ventriculum trajicitur, ubi convertitur in chylum, in epate deinde mu-

tatur in nutrimentum, ac vertitur in carnem & sanguinem, pars vero superflua in secessum ejicitur. Et hac naturali ratione substantiam panis in eucharistia manducari, extra omnem controversionem est. --- --- --- Sacramentalis manducatio corporis Christi non est physica, quae constet commolitione, masticatione, deglutitione & concoctione ejus substantiae, quae manducatur, quia praesentia corporis Christi in caena non est naturalis constans modo aliquo hujus seculi, quae tamen non ideo figurata vel ficta sed vera & substantialis est, licet fiat per mysterium supernaturale, caeleste & imperscrutabile --- --- --- & modo, qui ipsi soli, qui autor est hujus tremendi mysterii, notus, nobis autem incomprehensibilis & ineffabilis est, qui juxta verba testamenti filii Dei credi salubriter potest, comprehendi & intelligi nostris cogitationibus non potest, investigari vero nullo modo debet. --- --- --- Aliquo modo tamen hac possunt illustrari Collatione illorum exemplorum, quibus duae substantiae peculiari quodam & caelesti modo conjunctae describuntur. --- --- --- Ita de flammulis dissectarum linguarum in ore Apostolorum ita predicatur Spiritus Sanctus, ut credatur verè ibi in ore Apostolorum cum visibilibus illis flammulis adfuisse, non efficaciam tantum sed ipsam substantiam. Et flammulae quidem illae locali circumscriptione fuerunt in ore Apostolorum, substantia verò spiritus non tali circumscripta locatione fuit in ore Apostolorum, & tamen verè & substantialiter creditur ibi adfuisse non minus quàm ipsa flammula, licet ratione diversâ. &c. --- --- --- Ita sacramentalis manducatio Corporis Christi in caena non hac est, sicut Adversarii fingunt, quòd symbolum absentis corporis ore manducetur, vel quòd fides alibi extra actionem caena, quae juxta Paulum in conventu Ecclesiae celebratur, quarat & amplectatur humanitatem Christi, sed quia cor-  
pus



pus Christi verè & substantialiter adest & exhibetur cum pane illo. Os igitur corporis accipiens & manducans panem illum, verè dicitur & creditur accipere & manducare simul etiam corpus, licet non fiat tali Physicà ratione, sicut panis manducatur. Atque ex his, quæ hætenus dicta sunt, cerio & firmiter constituitur, inter physicam manducationem & inter spiritualem esse mediam quandam, sacramentalem scilicet manducationem corporis Christi, quæ necessario in cæna ponenda est, nisi velimus proprium & nativum sensum verborum testamenti Christi abjicere. Spiritualis verò manducatio Carnis & sanguinis Christi fit vel extra usum cænae Dominicae vel in ipso usu cænae. --- --- hac enim est fruitio Christi & omnium beneficiorum ejus, propter ejus verò obsignationem instituta est Cæna Dominica. Quæ verò re obsignatur spiritualis illa fruitio Christi? Non sanè frustra tantum aliquo panis & guttis aliquot vini, sed ipsam substantiam corporis pro nobis traditi & sanguinis pro nobis effusi: hoc enim ipse filius Dei affirmat: sicut igitur aliud est, quod obsignatur, aliud quo fit obsignatio: Ita alia est spiritualis manducatio Christi, quæ obsignatur, & aliud sacramentalis manducatio, quæ fit obsignatio. Hæc ex B. Chemnitio propterea volumus adducere tum quòd pulchrè totam hæc rem explicat, tum quòd laudatus liber omnium manibus non teritur.

## I I.

Quòd vero Duisburgenses Theologi pro absurdo habent, corpus Christi in pluribus locis olim extitisse, mensæ videlicet in primâ cœnâ assedisse & simul in ore 12. discipulorum fuisse, vel etiamnum in pluribus locis existere posse, in eo oppidò falluntur. Sed audiamus propria ipsorum verba: Omnibus rationibus, inquit, & argumentis hodie in Lutheranis, (quos præcedente thesi perfrita frontis homines appellan.)



lant) destituti, Dei omnipotentia pallio hac absurda tegere alla-  
borant ---- sed à potentia Dei non licet argumentari ad con-  
firmandum id, quod verbo Dei, imò ipsi natura Dei est contra-  
rium. Quamvis Deus plurima supra naturam facere possit &  
faciat, nullum tamen vestigium in S. literis apparet, Deum pos-  
se quicquam contra naturam v. g. idem corpus posse esse pluri-  
bus simul in locis citra spacia localis occupationem, efficere. Nam  
hoc cum Dei veritate, perfectione & immutabilitate pugnet:  
sic Deus posset se ipsum abnegare, mentiri, sic Christus simul esse  
posset etiam & non. Resp. Deum propterea non posse se ipsum  
negare, mentiri, Christum non posse simul esse & non esse,  
quia hæc aut manifestam contradictionem involvunt aut in  
Deo imperfectionem includunt: sed ex horum numero esse,  
quòd corpus naturale simul in pluribus locis existere queat,  
hactenus Reformati nondum probârunt: multiplicatâ enim  
præsentia alicujus non statim essentiam ejus multiplicari in  
thesibus satis superque ostendimus. Concedimus equidem  
contra naturæ ordinem esse talem multipræsentiam (ut ita lo-  
qui liceat) pariter ac, solem stare, hominem in mari ambulare  
& non mergi, ex aquâ fieri vinum; verùm hæc non sunt con-  
tra naturam sive contra lumen rationis, multò minùs cum  
Dei veritate, perfectione & immutabilitate pugnant. Falsum  
etiam est, nos ullum absurdum Dei omnipotentia pallio tege-  
re. Sed hoc statuimus: *quum Deus loquitur* (sunt verba Ca-  
lixti digressi de art. nov. p. mihi 187.) & *res divinas exponit*  
*aut aliquid mandat, instituit vel promittit: etiamsi hic occur-*  
*rat, cujus nullum alibi extet exemplum, vel quod esse aut fieri*  
*secundum naturæ ordinem potentiam vè nequeat, nihilominus*  
*ad improprietates continuò non delabendum sed cogitandum*  
*potius est, Deo dignum esse, ut quorum nobis in mentem aliàs*  
*venire*



venire non possit, loquatur, & quæ natura præstare nequeat, efficiat. Et sanè sicut Photiniani contra mysterium Trinitatis hunc in modum argumentantibus: Vbicunq; uni & eidem rei prædicata tribuuntur contradictoria intrinseca, ibi manifesta est contradictio. Sed in mysterio Trinitatis uni & eidem essentia divina prædicata tribuuntur contradictoria intrinseca, puta, quòd sit communis tribus personis & quòd sit incommunicabilis. E. etsi major hïc est difficultas, responderi tamen atque ostendi potest, nõ veram sed apparentem saltem hanc esse contradictionem: Ita etiam difficile non est ad apparentem istam contradictionem, quæ contra præsentiam carnis Christi in sacra cœna objicitur, respondere. Quis enim negabit, accidens à substantia vel subiecto, cui inhaeret, salvâ manente ejus essentiâ, divinâ saltem virtute separabile esse? eum itaque coextensio localis vel commensuratio cum loco corporibus accidentaria imò extrinseca sit, consequens est, per id esse in pluribus locis essentiam corporis minimè tolli. Periculosa itaque res est, in iis, quæ captum nostrum excedunt & ubi contradictio non est evidens, subinde ingeminare, Deum hoc non posse.

## I I I.

Dicis: Quodcunq; propriè manducatur & bibitur, id consumitur. Atqui corpus & sanguis Christi in sacra cœna non consumuntur. E. Corpus & sanguis Christi in sacra cœna propriè non manducatur & bibitur. Major probatur per inductionem: quia nullum proferri potest exemplum eorum, quæ propriè comeduntur & bibuntur, quin consumantur. Sed Resp. ad majorem per instantiam: In omni generatione substantiali propriè dictâ producitur nova substantia seu essentiâ à generante distincta. In generatione filii Dei non pro-

ob:

Rp.



producitur nova substantia seu essentia à generante distincta E. generatio filii Dei non est propriè dicta generatio. Conclusio est falsa, minor vera, major igitur, quæ itidem per inductionem probari potest, falsa erit. Quicquid igitur hic responderis, Tibi responsum esto. Nam utriusque majoris propositionis in utroque argumento eadem est ratio. Quemadmodum enim à generatione communi e. g. bovis, hominis &c. non licet argumentari ad generationem filii Dei, ita nec à manducatione physicâ & vulgari argumentari licet ad manducationem sacramentalem. Interim recolendum hîc est, quod Th. XIV. monuimus, scil. principia ex lumine rationis petita, quæ non absolutè & simpliciter sed secundum quid & physicè tantùm sunt necessaria, in argumentis Theologicis adhiberi non posse, vel si adhibeantur, & loco majoris in primâ aut secundâ figurâ ponantur, aut particularia esse, aut si universaliter accipiantur, falsa evadere. Eadem quoque est ratio horum & similium principiorum philosophicorum: Q. humana natura singularis est persona. Omnis substantia singularis subsistit propriâ subsistentiâ. Quot numero sunt personæ tot numero sunt essentiæ; ex quibus, si cum principiis Theologicis jungantur, falsissimæ & hæreticæ conclusiones deduci possunt. Meritò itaque ejusmodi principia philosophica in controversiis Theologicis rejiciuntur & hinc procul amandantur.

F I N I S.





*Disputatio Theologica*  
De  
Sancta Eucharistia seu cœna Domini  
posterior.

X X X.

**R**ostquam priore disputatione realem corporis & sanguinis Christi presentiam in eucharistia asseruimus, nunc ad controversias, quæ inter nos & pontificios in hoc loco agitantur, progredimur, omnium primò dogma transubstantiationis examinaturi: huic enim tamquam fundamento inædificantur plures alii errores & corruptelæ, nempe quòd eucharistia sit sacramentum permanentis, ex quo porro deducuntur adoratio hostiæ, quæ manifesta est idololatria, circumgestatio panis consecrati, ejusdem inclusio & asservatio, communicatio sub una specie & sacrificium missæ, cujus pedissequa est missa solitaria; item assertâ & introductâ transubstantiatione creverunt multæ perniciosæ, inutiles & portentosa quæstiones, item superstitiones & illusiones Diabolicæ & varia figmenta. Quod si itaque illud, quod fundamenti loco positum est, subruatur, reliqua quæ superstructa sunt, sponte suâ corruunt.

E

Beca-



D2  
TRANSUBSTAN-  
TIATIONE

XXXI. Becanus part. tert. Theol. Scolast. Tract. II. c. XIII. de Sacrament. in specie quaest. II. Concl. IX. Christus inquit fit praesens in Eucharistia per transubstantiationem i.e. per conversionem totius Substantiae panis in Corpus Christi, remanentibus solum accidentibus. Ita Concil. Lateran. & Tridentin. Sess. 13. C. 4. Can. 2. Et consentiunt antiqui Patres, qui variis modis explicant hanc conversionem &c. Verba Concilii Lateranensis sub Innocentio III. seculo XIII. habiti c. primo ita sonant: Verum Christi Corpus & Sanguis in Sacramento Altaris sub speciebus panis & vini veraciter continentur, transubstantiatis pane in Corpus & vino in sanguinem potestate Divina. Hoc Sacramentum nemo potest conficere nisi Sacerdos, qui fuerit rite ordinatus secundum claves Ecclesiae, quas ipse concessit Apostolis & eorum successoribus Iesus Christus. Capite tertio dissentientibus anathema denunciatur his verbis: excommunicamus, anathematizamus omnem haeresim extolentem se adversus hanc sanctam orthodoxam, catholicam fidem, quam superius exposuimus. Huic praeter Constantiense, consentit etiam Concilium Tridentinum cujus verba sunt: Si quis dixerit in Sacramento Eucharistiae Sacramento remanere substantiam panis & vini, una cum corpore & sanguine Domini nostri Iesu Christi, negaveritque mirabilem illam & singularem conversionem totius substantiae panis in Corpus, & totius substantiae vini in sanguinem (Christi) manentibus duntaxat speciebus panis & vini, quam quidem conversionem Catholica Ecclesia aptissime transubstantiationem appellat, anathema sit.

XXXII. Cum igitur Becanus in probando novo & falso transubstantiationis dogmate, quod non conversio panis & vini in corpus & sanguinem Christi, sed annihilatio est, sacramentum scripturam sicco pede praetereat, satis innuit, illud ex hac probari



bari haut posse, uti etiam alii id expressè fatentur. Etsi enim  
Albertus Magnus & discipulus ejus Thomas Aquinas ex ver-  
 bis institutionis transubstantiationem ita probare conantur,  
 ut existiment verbis Christi veritatem aliter constare non pos-  
 se, nisi desinat esse substantia panis, in eo tamen nullos ex reli-  
 quis Scholasticis, imo ne ex hodiernis quidem Pontificiis ha-  
 bent sectatores. Hi enim communiter docent, posse Deum  
facere verè & realiter presentem Christum intra panem, con-  
servatâ imò & immutatâ manente substantiâ panis, ut habet  
 Suarez. tom. 3. in tertiam disputat. 49. sect. 1. cui etiam sub-  
 scribit Becanus Theol. Scholastic. cap. 18. de sacram. in spe-  
 cie. quæst. 1. conclus. 1. Audiatur & Bellarminus, qui lib. 3.  
 de Eucharistia c. 23. de Scoto sic scribit: *Dicit, non extare lo-*  
*cum ullum scripturæ tam expressum, ut sine Ecclesiæ declaratio-*  
*ne evidenter cogat transubstantiationem admittere*; ipse ve-  
 rò subjicit: *At qui id non est omnino improbabile. Nam etsi scri-*  
*ptura, quam nos supra adduximus, videatur nobis tam clara, ut*  
*possit cogere hominem non protervum, tamen an ita sit, meritò*  
*dubitari potest, cum homines doctissimi & acutissimi, qualis*  
*imprimis Scotus fuit, contrarium sentiant.* Item Franciscus  
 Suarez loco citato sect. 2 ipse concedit, omnia illa, quæ videli-  
 cet ex S. S. pro tuenda transubstantiatione adferuntur, *per se*  
*non sufficere ad convincendum intellectum.* Gabriel Vatzquetz  
 quoque in eandem tert. disp. 180. c. 4. fatetur, se rationem illam  
 probandi transubstantiationem ex verbis institutionis apud  
 ullum alium ex antiquioribus præterquam Thomam invenire  
 non potuisse. Si itaque quæras, quare Scholastici Doctores  
 transubstantiationem auctoritate Scripturæ prorsus destitu-  
 tam credant, & Thomas Argentinas se tenere illam non pro-  
 pter aliquam rationem cogentem, sed propter Sanctorum aucto-  
ritatem & Sanctæ matris Ecclesiæ determinationem. Idem  
 sequ.



sentiant Scotus, Biel, Occam & alii. Primus autem omnium, qui hoc dogma sub anathemate tamquam articulum fidei cum concilio suo determinavit est Innocentius III. Romanus Pontifex Antichristianus, homo *super omnes mortales*.  
*Sec. XVIII. ambitiosus & superbus, pecuniaque sititor insatiabilis & ad omnia scelera pro premiis datis & promissis cecus & proclivus*, uti eum describit Matthæus Parisiensis in historia Johannis Regis.

XX XIII. Mirum autem non est, veteres Scholasticos auctoritate Innocentii & Concilii Lateranensis acquievisse. Persuasum enim omnibus tum erat, Pontificem Romanum in determinationibus suis esse infallibilem, idque propter epistolâs decretales, sanctorum Episcoporum & martyrum titulos mentientes Romanisq; Episcopis indebitam eminentiam & potentiam pariter ac infallibilem in dijudicandis controversiis & exponendâ Scripturâ Sacrâ auctoritatem tribuentes; quæ seculo post Christum natum octavo supponi & Ecclesiæ obtrudi ceperunt, paulatim magis magisque sparsâ per occidentem late serpsere & passim radices egerunt. Quod verò Scholastici Doctores post secuti fraudem non animadvertunt, inde factum est, quòd tum antiquitatis Ecclesiasticæ atq; literarum & linguarum, per quarum ignorationem ipsa quoque antiquitas ignoratur, cognitio planè fuerit intermorta. Ut rectè Erasmus alicubi de studiis illorum temporum scribit: Neglecta bona litera, fistidita Græcæ sermonis peritia, multo que magis Hebræici, spreto Eloquentiæ studium, quin & ipsa lingua Latina sic conspurcata est subinde novâ barbarie, ut jam nihil minus esset quàm latina, nec Historia, nec Geographiæ, nec antiquitatis ulla cura. Postquam verò paulò ante Reformationem non sine singulari Dei beneficio & providentia

lux

Prof. in  
 Hieron ad  
 Archiepi-  
 scop. Can-  
 mar.



lux literarum è tenebris emerfit, & omnis generis studia par-  
 tim reduc̃ta partim in melius aucl̃ta fuerunt, fraudem agnove-  
runt Docti etiam Pontificiæ parti additissimi, inter quos  
 sunt Cardinales Nicolaus Cusanus, Robertus Bellarminus, &  
 Cæsar Baronius. Ultimi verba sunt: *Ecce in quod discrimen* <sup>In notis ad</sup>  
*unus Isidorus Mercator illarum Epistolarum collector res nostras* <sup>martyro-</sup>  
*adduxit, ut eâ ex parte periclitari videatur Ecclesia, si que ipse* <sup>log.</sup>  
*collegit, vel potius effinxit, firma certaque esse dixerimus. Testi-*  
*monium illi perhibeo (ut ait verbis Apostoli) quod Zelum habu-*  
*it, sed non secundum scientiam*

XXXIV. Cæterum quod Sanctos Patres, quorum con-  
 sensum Becanus jaclat & Bellarminus 33. ex antiquissimis ci-  
 tat, concernit, concedimus equidem, eos sapè de transmuta-  
tione & conversione panis & vini in corpus & sanguinem "  
Christi loqui, sed hanc substantialem esse nullus dicit. Et  
 quamquam formulis loquendi substantialem mutationem  
 aliàs significantibus fuerint usi, inde tamen evinci nondum  
 potest, quod substantialem mutationem intellexerint. Quem-  
 admodum non sequitur, Scriptura S. describit peccatum per  
 substantiam, quando videlicet illud cor lapideum vocat. Ergo  
 est substantia: Item, describit mutationem hominis spiritua-  
 lem per vocabula communiter substantialem mutationem  
 denotantia, sc. per regenerationem, depositionem veteris ho-  
 minis & inductionem novi. Ergo spiritualis hominis mutatio est  
 substantialis. Ita etiã non sequitur, antiqui Patres mutationem  
 Symbolorum sacramentalem exprimunt phrasibus ad sub-  
 stantialem mutationem alludentibus. Ergo talis symbolorum  
 mutatio est substantialis. Quin illi ipsi Patres ejusmodi phrasés  
 à se usurpatas ita interpretantur, ut ad oculum pateat, illos  
 non nisi accidentalem Symbolorum mutationem credidisse.



Audiat nunc saltem Cyrillus Hierosolym. qui etsi Catechesi Mystagogicâ quartâ dicit: Hoc sciens & pro certissimo habens, panem hunc, qui videtur à nobis non esse panem, etsi gustus panem esse sentiat, sed esse corpus Christi &c. Nihilominus tamen catech. mystag. præced. mentem suam sic explicat: Sicut christina non amplius est commune unguentum sed donum Christi & Symbolum presentis S. Spiritus, ita panis Eucharisticus non est amplius communis panis, sed donum Christi, & vera ejusdem presentia Symbolum. Ita etiâ alii Sancti Patres panem jam consecratum expressè adhuc panem appellant. Justinus martyr Apol. 2 ad Anton. Pium: Non hac, ut communem usit at unque panem, usit at unque potionem capimus. Et paulo post cum dixisset, Christianos accipere Corpus & Sanguinem Domini, subicit panem etiam & vinum & aquam Christianis offerri. S. Irænaeus lib. IV. adver. hæ. c. 34. Qui est è terra panis, percipiens vocationem Dei (invocationem Dei) jam non communis panis est, sed Eucharistia ex duabus rebus constans, terrenâ & cœlesti. Ambrosius mutationem Symbolorum, quæ fit in Eucharistia comparat cum ea, quæ ex homine veteri fit novus. At hæc nō nisi accidentalis est. Ergo & illam ex mente Ambrosii talem esse oportet. Huc etiam referri possunt illi Patres, qui ab Eucharistiæ exemplo contra hæresin Eutyrianam argumentantur atque colligunt, talem esse mutationem carnis Christi in Divinitatem, qualis est panis Eucharistici in Corpus Christi. Imò nonnulli Ecclesiæ Doctores expressis verbis negant, substantiam panis & vini in Eucharistia mutari. Gelasius Cizyænus contra Nestorium & Eutychem scribens inter alia sic ait: Per Sacramenta Corporis & Sanguinis Domini Divina efficiamur consortes natura & tamen esse non desinit substantia vel natura panis & vini. — In Divinam transeunt S. Spiritu  
perfi-



perficiente substantiam, permanent tamen in sua proprietate natura. Theodoretus Dialog. 2. p. 8, ubi orthodoxus Eranista Eutychem asserenti: *Sicut Symbola Domini corporis & sanguinis post sacerdotis invocationem verè mutantur & alia fiunt; ita Dominicum corpus post ascensionem in Divinam Substantiam mutatum esse, ita respondet: Retibus, quæ ipse texuisti, captus es. Neque enim Symbola mysticæ post sanctificationem recedunt à suâ natura. Manent enim in priore Substantiâ & figurâ & forma & videri tancique possunt, sicut & prius &c.* Præterea repugnat dogma transubstantiationis praxi primitivæ Ecclesiæ: Veteres enim reliquias panis consecrati, ne ad communem usum referretur, igne absolvebant. Uti patet ex Gaudentii Brixienensis tractat. 2. in Exodum: *Si quæ Mysteriorum, inquit, superaverint, quæ capere modo non possumus — hæc igni cremanda sunt.* Idem testatur Hesychius lib. 2. in Levit. c. 8. Jam verò si veteres persuasi fuissent, in Eucharistia panem in Corpus Christi substantialiter mutatum esse, sine dubio ob reverentiam, quæ Christo debetur, corpore ejus in ignem conjicere reformidassent. Ex his omnibus patet, transubstantiationem novum dogma esse, & in primitiva Ecclesia inauditum. Unde rectè scripsit Scotus: transubstantiationem ante Concilium Lateranense non fuisse dogma fidei, sive tanquam dogma fidei sub anathemate propositum. Et quamquam Bellarminus existimet, Scotum consensum patrum, in quo ostendendo ille frustra laborat, ignorasse, in eo tamen oppido fallitur. Nam etiam ante Scotum Magister Sententiarum transubstantiationem, cujus semina sequiori illa ætate demum jacta sunt, inter res dubias collocat, quod sanè haut fecisset, si transubstantiatio eo tempore vel etiam ante pro dogmate fidei unquam habita fuisset.

Petrus Löh-  
 hard l IV.  
 dist. XL.  
 c. 1.

Porro



XXXV. Porro ex transubstantiatione multa alia nova dogmata, corruptelas & superstitiones derivari, adeoque illam fundamentum gravissimorum errorum existere, jam supra diximus. Primo inferunt Pontificii, Eucharistiam ex eo, quòd Corpus Christi (eadem est quoque sanguinis ratio) sub accidentibus panis, quamdiu speciem panis habent, perseveranter maneat, esse Sacramentum permanens. Quod etsi rectè quidem sequitur, antecedens tamen pariter ac consequens falsissima sunt. Nam supra §. VI. ostendimus, formam Eucharistiæ consistere in his actionibus sc. in benedictione, distributione, commestione & bibitione, quibus hoc Sacramentum integretur, & si una vel altera desit, non esse integrum & perfectum. Diximus etiam, nos de Sacramentali Corporis & Sanguinis Christi præsentia in verbis institutionis promissâ ante non posse esse certos, quàm fiat, quod præcepit Dominus cùm dixit: Accipite, edite, bibite. Cùm itaque forma huius Sacramenti uti ex institutione verbis factisque Christi manifestum est, in actionibus transeuntibus consistat, faciliè intelligitur, illud formaliter non esse permanens. Materia quidem Eucharistiæ proxima, permanens rectè dicitur, quoniam talis manet, quando inter benedictionem & usum mora aliqua interponitur, sed hæc saltim pars est, non integrum Sacramentum. Et quanquam Veteres benedictum panem & vinum etiam extra usum Corpus & Sanguinem Domini appellarunt, id tamen aliâ ratione factum non est, quàm ut exprimere voluerint, benedictum panem & vinum esse symbola non solum exhibentia corpus & sanguinem Domini, verum etiam vim & virtutem eorum significantia. Quemadmodum enim panis benedictus & vinum benedictum etiam post gratiarum actionem Eucharistia



ristia appellantur, ita etiam eadem Symbola ante sumptionem Corpus & Sanguis Christi dicuntur, quia destinata sunt communicationi Corporis & Sanguinis Christi, & quando ea sumuntur, sumuntur quoque Corpus & Sanguis Christi. Ex hisce tamen, ut & aliis veterum appellationibus, quarum varias huic Sacramento propter magnitudinem & sublimitatem ejus indiderunt, nondum sequitur, eos benedicta symbola ante usum pro integro & perfecto sacramento habuisse. Interpretanda itaque sunt ejusmodi Ecclesiasticae locutiones juxta tenorem phrasium, quibus Christus & Apostolus sunt usi sc. *accipite, edite, haec est corpus meum: panis quem frangimus est communicatio corporis Christi.*

XXXVI. Secundò ex transubstantiatione & ex jam eliminatâ sententiâ, quâ Pontificii Eucharistiam contendunt Sacramentum permanens esse, adoratio hostiæ, ejusq; circumgestatio deducitur. In primitivâ Ecclesia Symbola asservata fuisse equidem non negamus, idque propter ægros pariter ac poenitentes, uti patet ex Canone XII. Nicæno qui ita habet: *De his (excommunicatis è seculo exeuntibus) qui recedunt ex corpore antiquæ legis regula observabitur etiam nunc, ita, ut si forte quis recedat ex corpore, necessario vitæ suæ viatico non defraudetur. Quod si desperatus aliquis, receptâ communionem super vixerit, sit inter eos, qui solâ oratione communicant. De omnibus tamen his, qui à corpore recedunt, in tradendo eis communionem, & cura & probatio sint episcopi.* Sed cum hac asservatione statim conjunctus fuit abusus, ut propterea aliquot canonibus constitutum sit, *Eucharistiam diutius reservatam, quàm oportet, & ut nauseam pareat, comburendam tunc esse in puro igne.* Quin postea tot acceserunt superstitiones, ut auctores Reformationis existimarint, se malo huic mederi melius

*De  
Adoratione  
hostiæ*



non posse, quàm si asservationem in totum abrogarent. Hinc fit, ut quando in nostris Ecclesiis ægrotis vel morituris Eucharistia impertienda sit, ut in privato etiam loco, sed convocato aliquo coetu, celebratio instituat. Quamquam autem veteres benedicta Symbola aliquandiu, ut dictum, asservarint, nemo tamen illorum hæc unquam adoravit, aut adoranda esse docuit, sed ejusmodi idololatrica adoratio post introductam transubstantiationem demum coepit, quæ etiamnum in Pontificia Ecclesia in usu est. Duplici autem nomine pontificii, cum primis illi, qui rectora sunt edocti aut facili negotio se ignorantia possunt eximere, idololatriam hodie committunt. Primò, quod panem benedictum extra usum, cum quo Corpus Christi realiter conjunctum non est, adorent. 2. Quòd in ipso usu toti Sacramento, & sic etiam ipsis speciebus cultum latriæ divinum exhibeant. Ita enim habet Concilium Tridentinum sess: XIII. Cap. V. Nullus dubitandi locus relinquitur, cum omnes Christi fideles latriæ cultum, qui vero Deo debetur, huic sanctissimo Sacramento in veneratione adhibeant. Hæc explicaturus Bellarminus, ea profert, quæ subsistere haut possunt. Nullus ait, Catholicus est, qui doceat, ipsa Symbola externa per se & propriè adoranda esse cultu latriæ, sed solum veneranda cultu quodam minore, qui omnibus Sacramentis convenit; Cultu autem latriæ dicimus per se & propriè Christum esse adorandum, & eam adorationem ad Symbola etiam panis & vini pertinere, quatenus apprehenduntur, ut quid unum cum ipso Christo, quem continent. Hæc, inquam, subsistere haut possunt: Symbola enim cum Christo non constituunt unum per se, sed factum per accidens, nec coalescunt in unum suppositum, quemadmodum humana Christi natura unita est personæ τὸ λόγος. Quicumque igitur Symbola in Eucharistia etiam si apprehendantur ut u-

L. 4. de euchar. cap. 29.

acum



num quid cum Christo, cultu Divino prosequitur, idolatriam committit, quia meram creaturam cultu laetitia adorat; neque excusari tantum crimen potest, quicquid etiam Pontificii regerant. Quamquam autem hodierni Pontificii propter Concilium Tridentinum de adoratione Sacramenti ita sentiunt & scribunt, longè aliter tamen animatus fuit Georgius Calsander vir doctus & moderatus, qui Artici XXII. Consultationis ita hac de re diserit: *De adoratione Sacrosancti Sacramenti Eucharistia ita ex Veterum mente statuendum puto. Cùm in hoc Sacramento Christus Deus & homo & corpore & sanguine suo presentem se exhibeat, consequens est ut in hoc quoque mysterio adoretur, qua adoratio non ad ipsum signum, quod exterius videtur, sed ad ipsam rem & veritatem, qua interius creditur, referenda sit: quam vis & ipsi signo, cuius jam virtus intelligitur, tanquam religioso & sacro sua veneratio debeat.*

XXXVII. Quod circumgestationem panis benedicti attinet, sciendum est, eam seculo XIII capisse. Institutum enim est festum illud, quod Corporis Christi appellant, ab Urano IV. Pontifice, & sequente seculo à Clemente V. confirmatum, uti habetur in Clementina de reliquiis & Veneratione Sanctorum; ad quam glossa: *Quia illa constitutio Urbani non fuit recepta ab omnibus, ideo Clemens Papa quintus illam innovavit & ab omnibus servari precepit.* Novam autem esse hanc circumgestationem, & in primitivâ Ecclesiâ inauditam ipsi Pontificii concedunt. Audiatur iterum Calsander, qui cit. loc. sic ait: *Consuetudo, quâ panis Eucharistia in publica pompa conspicuus circumfertur ac passim omnium oculis ingeritur, præter veterum morem & mentem, hanc ita longo tempore inducta & recepta videtur: illi enim hoc mysterium in tanta religione & veneratione habuerunt, ut non modo ad ejus perceptio-*

NB

DE  
CIRCUMGESTA,  
TIONE PANIS

NB

nom sed ne inspectionem quidem admitterent, nisi fideles, quos Christi membra & tanti mysterii participatione dignos esse existimarent. Quare ante consecrationem catechumeni, energumini, pœnitentes, denique non communicantes, diaconi voce & ostiariorum ministerio secludebantur. Quare videtur hic circumgestationis usus citra grave Ecclesia damnum imo cum ipsius lucro (si modo id prudenter fiat) omitti posse, cum & recens sit & diu sine ea circumgestatione sacramento suus honos constiterit & hodie constare possit: Deinde, cum hodie plerumque non devotioni populi, sed pompa magis & ostentationi seruiat. Imò verò, quoniam circumgestatio ista cum idololatrica adorazione est coniuncta; [quotiescunq; enim sacerdos hostiam in pompaticâ illâ processione elevat, populus in genua procumbit, eamque ut verum Deum adorat] minime toleranda est adeoque justam ob causam Autoris Reformationis eam abrogarunt. Horrendus etiam est abusus, cum pontifex iter facit aut in publicum prodit, ante se ferri facit hostiam consecratam, vix aliam ob causam, quam ut ipsius majestas & magnificentia amplificetur, dum eum sibi inservire jubet, quem Deū & Dominum suum esse credit. Plura hac de re vide in Exam. Concil. Trid. part. 2. de cultu & veneratione sacram. Euch. Chemnitii, ut & in exercitationibus Calixti de trans. n. 71.

DE  
COMMUNICA-  
TIOE sub  
una specie.

XXXVIII. Sequitur nunc communicatio sub una, quæ tandem transubstantiationi tanquam fundamento inædificatur. Nam postquam dogma transubstantiationis altiores radices egit, invaluit quoque metus effusionis, cuius evitanda causâ calix laicis imo etiam Clericis non conficientibus subtrahi coepit, quam subtractionem paulatim magis magisque propagatam, tandem Concilium Constantiense decreto sancivit, ita ut communione sub utraque panis & vini specie



cie sub pena excommunicationis invocato etiam auxilio  
brachii secularis, prohibuerit. Idem fecit Concilium Triden-  
tinum, uti patet ex anathematismis, quos hic subijcimus. *Can.* <sup>sess. 21. qua  
est 5. sub  
Pio 4.</sup> *I. si quis dixerit, ex Dei precepto vel necessitate salutis omnes &  
singulos Christi fideles utramque speciem sanctissime Eucharis-  
tie sumere debere, anathema sit.* *Can. II. Si quis dixerit, sanct.  
Ecclesiam Catholicam non justis causis & rationibus adductam fu-  
isse, ut Laicos atque etiam Clericos non conficientes sub panis tan-  
tummodo specie communicaret, aut in eo errasse, anathema sit.*  
*Can. III. Si quis negaverit, totum & integrum Christum omni-  
um gratiarum fontem & auctorem, sub una panis specie sumi:  
quia non secundum Christi institutionem sub utraque specie su-  
matur, anathema sit.*

XXXIX. Hisce Conciliorum Constantiensis & Triden-  
tini decretis & huic annexis anathematismis contradicimus  
& statuimus: omnes Sacramento Corporis & sanguinis usuro-  
s oportere sub utroque symbolo pane & vino communi-  
care. Fundamentum nostrae assertionis est ipsa Christi insti-  
tutio, quae tam clara & perspicua est, ut ipsi etiam adversarii e-  
am agnoscat atque concedant, communionem sub utraque  
à Christo quidem institutam esse sed non praecipitam: ac pro-  
inde inter institutionem & praecipitum distinguendum esse di-  
<sup>Manual.  
l. I. c. 9.  
Concl. I.</sup> cunt. *Multa à Deo instituta sunt, inquit Becanus, quae tamen*  
<sup>n. 7.</sup> *omnibus praecipita non sunt, ut matrimonium, ordo Ecclesiasticus,  
praedicatio Evangelii, officium baptizandi & plura alia. Non  
enim tenentur omnes ex praecipito Divino inire matrimonium,  
suscipere ordines Ecclesiasticos, praedicare Evangelium, baptiza-  
re Catechumenos, Unde sicut haec consequentia non valet: Ma-  
trimonium est à Deo institutum Ergo omnibus praecipitum  
est. Itasimiliter haec non valet: Communio sub utraque specie  
à Christo instituta est. Ergo omnibus praecipita.*



L. I. de leg.  
c. I. n. 8.

X L. Nos antequam respondeamus, distinguimus cum Suarezio inter præcepta, quorum alia sunt de exercitio actus & alia de specificatione seu modo auctus: Illa simpliciter jubent vel prohibent actum fieri; ut v. g. date Eleemosinam, orate. Non occides, non machaberis; hæc vero ordinant & sanciunt rem ipsam secundum se & in substantiâ sua atque præscribunt, quomodo & qualiter fieri debeat actus, cum res sancita & constituta ad actum est transferenda. Ejusmodi lex ait Suarez, *licet non obliget ad actum exercendum, obligat tamen ut si actus fiat, talis modus servetur, qualis est v. g. lex attentè orandi, qua licet non obliget ad orandum, obligat [tamen] ut si oratio fiat, cum attentione fiat.* Talis etiam est lex e. g. qua in jure civili sancitur, ut in testamento certus testium numerus & aliæ solennitates adhibeantur. Ubi nemini injungitur testamentum facere, sed præscribitur tantum, quomodo fieri & comparatum debeat esse testamentum, ut ratum habeatur. Priora itaque præcepta præter rem ipsam, quæ mandatur, includunt etiam personas, quas Autor legis vult obligatas, posteriora verò præscribunt <sup>tantum</sup> quomodo & qua ratione aliquid fieri debeat, non factâ mentione personarum, à quibus id, quod mandatur, in actum deduci debeat. Posito itaque, sacramentum eucharistiæ esse saltem institutum & certis personis, quæ illo uti debeant, non mandatum, nihilominus tamen habet vim præcepti & convenit cum legibus de specificatione actus, ut si quis id usurpare velit, teneatur ita usurpare, quemadmodum à Christo est institutum. Hinc ita concludere debebat Becanus) Matrimonium esse à Deo institutum, Ergo qui illud contrahere cupit, debet legem matrimonii servare, ut aliter non contrahat, quam à Deo est præscriptum & institutum, sc. ut duo sint una caro. Similiter communio sub utraque specie est à Christo

by  
debet Roma,  
no Catholici



Christo instituta. Ergo qui vult communicare, debet ita com-  
municare, quemadmodum à Christo est institutum & præscri-  
ptum sc. sub utraque specie. Item munus Ecclesiasticum à  
 Christo est institutum. Ergo qui illud suscipere & exercere  
 vult, tenetur illud institutioni Christi conformiter suscipere &  
 exercere. Non solum autem cum hisce exemplis jam adductis  
 ita comparatum est, sed in universum cum omni institutione  
 à voluntate superioris profecta, quemadmodum patet ex in-  
 ductione: nam testamentum facturus, debet certum testium  
 numerum & alias solennitates in lege præscriptas adhibere, ut  
 jam supra dictum. Itidem Magistratum suscepturus, debet in-  
 stitutioni conformiter se gerere & sic in aliis, nec ullum exem-  
 plum in contrarium dari potest, ubi ejusmodi institutio non  
 simul includat præceptum, vel quoad rem non conveniat  
 cum præcepto de specificatione actus.

XLI. Præterea notandum est, institutionem non so-  
 lum habere vim præcepti affirmativi, dum præscribit, quomo-  
 do & quâ ratione fieri debeat, quod institutum est, verum etiâ  
 negativæ, ut videlicet id, quod institutum est, potius omittatur, si  
 ita fieri nequeat, ut est præscriptum. Hinc Georgius Cassander  
 Epist. XXVI. ad Joh. Reidan. Med. Doctorem in quâ comuni-  
 onem sub una rejicit, & sub utraq; asserit, inter alia rectè sic scri-  
 bit: Quare non illi tantum in vitio sunt, qui præter Christi præscri-  
ptum hæc Sacramenta administrant, quanquam eorum pecca-  
tum majus est, sed illi quoq; peccant, qui aliter accipiendo contra  
Christi institutum hanc memoriam passionis ejus certâ lege & con-  
ditione sancitâ celebrant. Quod verò dici solet, aliter à Laico hæc  
accipi non posse, quam dantur, et ad impossibile neminem obliga-  
ri, cui argumento plurimum tribuit Cusanus: videndum an non  
satius sit, à sacramenti perceptione ad tempus abstinere quam in-  
digna

*Eodem mo-  
 Comparatum  
 Cum omni in-  
 stitutione à vo-  
 luntate superio-  
 profecta.*

*Doctor Cath.*



*dignâ ne dicam sacrilegâ sumptione mensam Domini profanare? Nemo quippe ad impossibile admittendum obligatur; obligatur verò ad omittendum, quod Divino instituto & mandato repugnat.* Haecenus Callander. Quin etiam Franciscus Suarez ex hac ipsâ, quam adduximus, ratione probat, *Divino jure præceptum esse, ut qui sacrificium Missæ conficere vult, sub utraque specie conficiat*; quando ait: *Quocirca maximè animadvertendum est, hoc præceptum non quaecunque esse, sed continens institutionem & modum sacrificandi præscribens, cui intrinsicè annexum est, ut si fieri non potest, sicut est præscriptum potius omittatur, quàm alio modo fiat: ut videre est in omnibus similibus præceptis, tam nova legis quam veteris, & ideo non habet solam vim præcepti affirmativi taliter sacrificandi, sed in hoc includitur negativum, non faciendi aliter.* Sic etiam nos ex eadem ratione probamus, communionem sub utraque esse præceptam, quia videlicet Christi institutio non est quaecunque præceptum, sed tale præceptum, quod continet & præscribit *modum communicandi, cui intrinsicè est annexum præceptum negativum, ut si aliquis communionis sub utraque specie particeps fieri nequeat, ut potius à communionem abstineat, quàm contra Christi institutionem sub una communiceat.*

XLII. Ita restrictos nunc habemus Pontificios, ut expedire sese, quamvis magno conatu id agant, tamen nunquam possint. Interim quas elabendi hîc quærant rimas, paucis considerabimus. *Becanus* Theol. Scholast. de Sacrament. in specie cap. XXIV. punct. I. cum sibi rectè hunc in modum objecisset: *Dices: Hæc exempla, (quæ videlicet instantiæ loco mox adduxerat) solum ostendunt, nos omnes teneri ad ea usurpanda, quæ à Deo sunt instituta. Si quis tamen velit ea usurpare, tenetur hoc facere secundum divinam institutionem v. g.*  
*Si quis*

Si quis velit baptizare, aut inire matrimonium, tenetur eo modo facere, quo Deus instituit. Ergo. Similiter, si quis velit communicare, tenetur id facere sub utraque specie, quia Christus sic instituit. Hæc, inquam, cum rectè Becanus sibi objecisset, perperam ad ea sic respondet: Hæc regula generatim accepta, sine dubio falsa est, quod etiam adversarii debent fateri. Nam si vera esset, sequeretur, eum, qui vellet communicare, teneri id facere vesperi post sumptam cœnam, quia Christus sic instituit. At nemo tenetur id facere, ut adversarii concedunt. Opus ergo est distinctione. Nam ea quæ à Deo instituantur, dupliciter spectari possunt. Primo quoad substantialia. Secundo, quoad accidentalia. Si quis ergo velit usurpare aliquod Sacramentum à Deo institutum, tenetur ea facere omnia, quæ pertinent ad substantiam illius sacramenti, non tamen tenetur adhibere omnes modos & circumstantias accidentales. v. g. in baptismo necessaria est ablutio & forma verborum, non tamen determinatè necessaria est trina vel una immersio, sed liberum est vel unam vel trinam adhibere juxta loci cujusque consuetudinem. Similiter ergo in communione necessarium est, accipere Christum sub specie externa, quia hoc pertinet ad substantiam sacramenti: non tamen jure divino necessarium est, ut determinatè id fiat sub utraque specie, quia potest fieri sub una.

XLIII. Resp. i. Regulam illam, (quam Becanus in objectione proponit & nos hæcenus explicavimus atque ostendimus, omnem institutionem à superiore profectam habere vim legis) etiam generatim acceptam non esse falsam, sed verissimam. Nec enim instantia, quam affert Becanus, eam infringit: quia falsissimum est, Christum instituisse, ut, qui communicare vult, vesperi post sumptam cœnam communi-  
cet. Instituit quidem Christus Sacramentum Eucharistiæ, at-  
que



que discipulis suis dedit vesperi: sed non instituit aut mandavit,  
 ut fideles vesperi communicent. Nam liberum eis est, quo  
 2 tempore velint communicare. 2. Quæ Becanus de accidentalibus  
 sacramenti dicit sc. *si quis velit usurpare aliquod sacramen-*  
*tum à Deo institutum, eum non teneri adhibere omnes modos,*  
*& circumstantias accidentales,* ea simpliciter negamus, si ejus-  
 modi accidentalia intelligat, quæ à Deo instituta sunt. Nam  
 quicquid in Sacramentis à Deo institutum est sive ad substantiam  
 sive ad accidentales modos & circumstantias pertineat,  
 id omne servari debet ab illis, qui aliquod sacramentum usur-  
 pare volunt. Tale accidentale erat in V. T. circumstantia septi-  
 mi diei in circumcisione, quæ omnino erat servanda. Posi-  
 to itaque tum utramque tum alterutram speciem sive panem  
 sive vinum ad accidentalia, ut pontificii fingunt, esse  
 referenda, nihilominus communicaturi obligarentur utramque  
 sumere, quia utraque à Deo instituta est. Quod si ali-  
 quid, quod institutum est, omittas, institutioni te conformiter  
 non geris ac proinde peccas. 3. Falsissimum est, ad substantiam  
 3 sacramenti eucharistiæ non pertinere aut jure divino necessarium  
 non esse, ut Christum determinatè sub utraq; specie accipiamus.  
 Nam cum symbola panis & vini determinatè à Christo instituta  
 sint, ut illud corporis sui manducandi & hoc sanguinis sui bibendi  
 sit signum & medium, omnino ad substantiam hujus sacramenti  
 pertinet & jure divino necessarium est, ut communicatio sub  
 utraque fiat specie. Sed dicunt, sub qualibet specie totum esse  
Christum ac propterea formalem hujus sacramenti rationem  
consistere in sumptione Christi cum aliquo externo signo  
adeoque ad accidentalia tantum pertinere communicationem  
sub utraque vel sub alterutra specie. Respondeo, quam ad  
essentiam hujus sacramenti perti-

Romano catho-  
 lici dicunt

^ s.

R





pertineant, ex institutione unice innotescere. Jam verò con-  
 stat, Christum instituisse, ut quando panis benedictus exhibe-  
 tur & comeditur, corpus ejus exhibeatur & comedatur; &  
 quando vinum benedictum exhibetur & bibitur, sanguis  
 ejus exhibeatur & bibatur, atque hæc ipsa sunt res institutæ  
 non circumstantiæ accidentales. Præterea non videtur pugna-  
 re, solum corpus Christi cum pane & solum sanguinem cum <sup>lib. IV. de</sup>  
 vino exhiberi, ut ipse Bellarminus admittit. Sed etiam si con- <sup>euch. cap.</sup>  
 cédamus, propter concomitantiam cum pane præter Christi <sup>xxx.</sup>  
 corpus exhiberi quoque sanguinem, animam & divinitatem  
 ejus, id tamen Pontificiorum causam non juvat: nam vi ver-  
 borum institutionis & per se cum pane exhibetur & accipitur  
 tantum corpus Christi, ex accidente verò ea, quæ cum corpo-  
 re sunt unita: Item vi institutionis & per se cum vino exhibe-  
 tur & bibitur tantum sanguis Christi, per accidens verò ea,  
 quæ cum sanguine sunt conjuncta, sumuntur. Quæcunque  
 igitur vi institutionis & per se cum symbolo exhibentur & su-  
 muntur, ea pertinent ad substantiam Sacramenti Eucharisti-  
 ci, illa verò, quæ per accidens saltim exhibentur & sumuntur,  
 substantiam & rationem formalem sacramenti non ingredi-  
 untur. Sed audiamus aliquem ex ipsis Pontificibus Romanis,  
 scilicet, Innocentium tertium de mysteriis sacram. altaris l. 4.  
 c. 21, qui ad ea, quæ hodie Pontificii de concomitantia objice-  
 re solent, rectè sic responder: *Quamvis sub specie panis, sanguis  
 sumatur cum corpore, & sub specie vini, Corpus sumatur cum san-  
 guine, tamen nec sanguis sub specie panis, nec corpus sub specie vi-  
 ni bibitur aut comeditur. Quia sicut nec sanguis comeditur, nec  
 corpus bibitur, ita neutrum sub specie panis bibitur, aut sub specie  
 vini comeditur*: Cum itaque omni caret fundamento, quod  
 Pontificii de formali ratione hujus sacramenti (omniant) con-  
 con-

Romano Cat.  
 + adferunt



cōcludimus ex institutione Christi ad sacramenti eucharistici substantiam, & rationem formalem pertinere, atque jure divino necessarium esse, ut communicaturi Corpus Christi sub pane benedicto, & sanguinem ejus sub vino benedicto accipiant. Quod si verò sub una specie tantum communicates, non solum contra institutionem agis, verum etiam aliquid omittis ad ipsam substantiam hujus sacramenti pertinens, adeoque mutilas sacramentum, & gravissimo peccato te obstringis.

XLIV. Hactenus itaque ostendimus institutionem sacrae coenae convenire cum praeceptis de specificatione actus, &posito nullum exstare praeceptum certae personae ad communicandum obligans, nihilominus communicaturos teneri vi institutionis sub utraque specie communicare. Jam porro ostendemus, in verbis institutionis praeterea contineri praeceptum de exercitio actus & omnibus adultis fidelibus sine discrimine praecipere, ut sub utraque specie communicent. Sententiam nostram probamus ex verbis Christi imperativis: Accipite, comedite, bibite ex hoc omnes Matth. XXVI. 26, 27. Quod etiam vel inde patet: quia hi actus salutis nostrae causae instituti & praecipiti sunt, ita ut si quis eos exercere neglexerit, vitae aeternae particeps fieri nequeat. Hinc Salvator Joh. VI. 53. Amen Amen dico vobis, nisi comederitis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis: quae verba non minus omnes fideles obligant, quam ea, quae Christus de baptismo omnibus omnino hominibus ad salutem necessario Joh. III. 5. profert. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest introire in regnum Dei. Frustra igitur Pontificii excipiunt, verba, accipite, bibite, non esse praecipientis sed invitantis seu dantis, ut fieri solet in quocumque convivio, ut Suarez loqui-

Romano Altho  
lici



loquitur Tom. 3. quæst. 80. disput. 6. sectione 2. Quasi verò inter venerabile Eucharistiæ sacramentum & quodcumq; familiare convivium nullum sit discrimen, sed utrumque eodem loco habendum. Nec plus ponderis habent, quæ subjicit Suarez: ut quando Christus dixit Joh. XX. Accipite Spiritum Sanctum, nihil præcepit, sed dedit simulque explicuit, quid daret. Toto enim cœlo differunt hæc verba Christi ab illis, quæ in institutione habentur. Nam cum Apostoli se purè passivè haberent ad dona Spiritus Sancti, quæ per Christi afflatum consequerentur, luce meridianâ clarius est, per verbû accipite, hic nihil præcipi, sed solum declarari, quid illis concederetur. At verò ad actus edendi & c. activè se habent, quibus dictum est, accipite, edite, bibite. Ergo omnino illis injunctum & mandatum est à Domino, ut hos actus in sui memoriam exercent & frequentent.

XLV. Sed ulterius hîc quæritur, utrum Christus solis Apostolis dixerit, edite, bibite, an verò eadem ad alios quoque Christianos referri debeant? Nos antequam respondeamus, quædam ex Becano consideranda proponimus: Verba Christi, inquit, aliquando diriguntur ad solos Apostolos, ut Matth. XXVI. 31. omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte: Aliquando ad Apostolos & eorum successores Episcopos & c. Joh. XX. v. 33. Quorum remisistis peccata & c. Aliquando ad Apostolos & omnes fideles. Marc. XIII. 37. Quod vobis dico, omnibus dico, vigilate. Et subjungit: Hoc autem judicandum est partim ex natura, de qua agitur, partim ex circumstantiis, quæ ex contextu oriuntur, partim ex traditione & censura ecclesiæ universalis. Jam verò ex natura sive materia, de qua agitur & ex circumstantiis, quæ ex contextu oriuntur, elucet, verba accipite, comedite, bibite, non præcisè pertinere ad Apostolos, nec

tantum

q. 10

Theol. Schol.  
last. desacr  
in specie  
c. XXIV.  
punct. XI.  
object. 2o





ad eorum ministerium, sed ad Christianismum singulis fidelibus adultis tam laicis quam clericis, tam foeminis quam masculis communem. Quamquam enim illos numero actus edendi & bibendi in primæ coenæ administratione soli Apostoli exercuerunt; iisdem tamen Christus simul instituit & mandavit alios similes & eosdem specie actus deinceps in ecclesia repetendos, quod tam ex verbis Christi: *hoc facite in mei commemorationem*, quam Pauli testimonio I. Cor. XI. 26. *Quotiescunque ederitis panem hunc & poculum hoc biberitis, mortem Domini annuntiabitis usque quo venerit*, luculenter probatur. Nam quicumque actus debent continuari & frequentari in Christi recordationem usque ad consummationem seculi, illi non ad solos Apostolos sed ad alios quoque spectant. Atqui actus edendi & bibendi à Christo in ultima coena instituti continuari & frequentari debent in sui recordationem usque ad consummationem seculi. Ergo actus edendi & bibendi à Christo in ultima coena instituti non ad solos Apostolos sed ad alios quoque spectant. Major suâ luce radiat. Minor ex jam adductis tum Christi tum Pauli verbis constat. *Falsum* igitur est, quod Becanus loco citato cum aliis Pontificiis asserit, sc. *neutrū* (*verborum manducate & bibite*) *dictum esse omnibus Christianis sed Apostolis presentibus. Unde ex vi verborum, manducate & bibite non teneri Christianos manducare, sed ex vi illorum: nisi manducaveritis carnem filii hominis.* Id enim quod exerceri debet ab omnibus Christianis usque ad Domini reditum, ad Apostolos tantum restringi hauri potest, ut dictum & probatum est. Unde ex vi verborum *manducate & bibite*, quoniam imperativa sunt & à Christo Domino nostro dicta, omnino tenentur omnes Christiani communicare; illa verò, *nisi manducaveritis carnem filii hominis & biberitis sanguinem*

Romano  
Catholicis



*sanguinem ejus &c.* formaliter non imperant comestionem & bibitionem sacramentalem, sed saltem exprimunt necessitatem harum actionum tanquam mediū alicujus, per quod consequimur salutem & quo neglecto ac contempto salus obtineri nequit.

XLVI. Dicitur: non sequi, actus edendi & bibendi Eucharistici debent continuari & frequentari usque ad finem mundi. Ergo omnes Christiani utrumque actum debent exercere. Sufficere enim, si ab aliquibus, nempe à sacerdotibus uterque exerceatur. Respondeo, ex historia institutionis & cum primis, ut à Paulo est repetita, clarissimum esse, actus edendi & bibendi à Christo esse institutos non solum pro Apostolis & eorum successoribus Episcopis, sed in universum pro omnibus Christianis, quod etiam ex fructu & fine hujus sacramenti patet, neque enim ullum effectum aut finem (Papista) nominare possunt, qui non æquè ad Laicos quàm sacerdotes pertineat. Præterea constat ex praxi primitivæ ecclesiæ, in qua ultra mille annos utramque speciem sumere omnibus Christianis licuit, actus edendi & bibendi non esse sacerdotum proprios: quod enim ad ministerium spectat, id Laicis extra necessitatis casum facere haut est licitum. Quin cum ipsi Pontificii Laicis fidelibus communicationem sub specie panis concedant, pronā consequentiā inde deducitur, actum bibendi non esse sacerdotum proprium sed omnibus Christianis communem. Utriusque enim, scilicet tum actus edendi tum actus bibendi profus eadem est ratio, nec ullam diversitatem Pontificii hætenus ostendere potuerunt.

XLVII. Quando Becanus in verbis supra § XLV. adductis ultimò dicit, partim ex traditione & censura ecclesiæ universales judicandum esse, an ex gr. verba edite, bibite ad solos Apostolos &

*tantum*

*et.*

*Romano catholici*

*Romano Catholicici*

*Romano Catholicici*



los, an ad Apostolos & ad eorum successores, an verò ad Aposto-  
 los & ad omnes fideles directa sint: notandum est 1. Eccle-  
 siam universalem testari quidem posse, quisnam sit verus &  
 genuinus sensus scripturæ, saltem in iis, quæ creditu aut  
 factu ad salutem sunt necessaria, potestatem autem non habe-  
 re, sensum aliquem scripturæ tradere, qui ei non sit conformis,  
 vel etiam repugnet, nec posse quidquam mutare, quod à  
 Christo in fide traditum & in sacramentis institutum est. 2. Id  
 quod Pontificia ecclesia fecit aut etiamnum facit, non impu-  
 tandum esse ecclesiæ universali: illa enim particularis est ade-  
 oque errare potest etiam in rebus fidei, imò in multis erravit  
 satis periculosè, ut eo nomine impurissima inter particulares  
 merito audiat: hæc verò propter Christi promissiones in re-  
 bus fidei infallibilis est nec unquam fundamentaliter erravit  
 aut errabit. Hisce præmissis dicimus, ecclesiam universalem  
 verbis edite, bibite, talem sensum nunquam tribuisse, qualem  
 fingunt Pontificii) sed ut ex contextu patet, ea ad Apostolos &  
 omnes fideles esse directa, ita etiam eadem sic & non aliter  
 intellexit, quemadmodum ex praxi totius primitivæ ecclesiæ  
 manifestum est, quæ propter Christi institutionem utramque  
speciem Laicis ultra mille annos, ut jam supra diximus, conce-  
 dit, quod ipsi etiam Pontificii) negare haut possunt. Ingenue &  
apertè confitemur inquit Alphonfus Salmeron, morem genera-  
lè extitisse communicandi, etiam Laicos sub utraque specie, sicut  
hodie fit apud Græcos. Quando igitur de mutilatione Sacra-  
 menti Eucharistiæ quaritur, utri ecclesiæ ea imputanda sit, an  
 universali an particulari Pontificiæ? Respondetur, universali  
 ecclesiæ eam non posse imputari, quia hæc, uti ex dictis patet,  
 in iis, quæ sunt creditu & factu ad salutem necessaria, errare  
 nequit. Errasset autem hoc modo, si aliquid à Christo institu-  
 tum mutasset. Sola itaque Pontificia ecclesia hic in culpa est.  
 Sed

Romanocatho-  
 lica  
 hodie

stuant Roma  
 vocat hodie

Romano  
 catholici

Tom. 9.  
 cap. 35.



Sed nunc paucis dispiciemus, quid ex praxi Christi, Apostolorum & primitivæ ecclesiæ nobis Pontificii objiciant.

XLVIII. Primò dicunt, Christum usum unius speciei & verbis & facto comprobasse. Prius probant ex Joh. VI. 51. *Ego sum panis ille vivificus, qui è cælo descendit, si quis ederit ex hoc pane, vivet in æternum: Panis autem, quem ego dabo caro mea est, quam ego dabo pro vita mundi.* Et v. 58. *Hic est panis ille, qui de cælo descendit: non prout comederunt patres vestri manna & mortui sunt. Qui ederit hunc panem, vivet in æternum.* Posterius probant ex c. XXIV. 30. Luca. *Et factum est, cum accubisset cum eis, sumpto pane benedixit & fractum porrexit eis. Ad aperti sunt autem oculi eorum & agnoverunt eum, sed ipse ablatu est ex eorum conspectu.* Ex his colligunt, Christum duobus discipulis in Emaus sub sola specie panis Eucharistiam porrexisse.

of

XLIX. Sed falluntur & fallunt Pontificii. Nam posito Christum Joh. VI. agere de manducatione sacramentali, eam tamen ibi non instituit, sed incidenter saltem & datâ occasione de eâ, quam post lapsum anni instituturus erat, differit: præcipuè autem ipsi sermo erat de spirituali manducatione, quæ fit per fidè. Non ergo ex hoc loco, sed ex verbis institutionis præfens controversia decidenda est. Præterea hic Christus non solum de manducandâ carne suâ, sed expressè etiam de bibendo sanguine suo loquitur, & utrumque actum tum edendi tum bibendi vitam æternam consecuturo necessarium esse dicit. Quod adducta verba attinet, in quibus fit mentio tantum panis, quem se esse Christus asseverat, cui libet textum inspicienti patet, ea de spirituali manducatione intelligenda esse. Et quanquam evincere possent Pontificii, ea de sacramentali manducatione esse intelligenda: inde tamen nondum seque-

30 tantum

H

retur,



retur, Christum comprobasse communicationem sub una specie, cum unius positio non sit alterius exclusio, imo utraque etiam species eodem capite satis sit expressa, utriusque etiam sumendæ necessitas asserta, ut iam dictum est.

*Ad 2.*

L. Alter locus ex Evangelio Lucae sumptus Pontificiorum causa minimè patrocinator. Christus enim ibi nec consecravit sacramentum Eucharistiæ, neque dixit distribuendo *accipite, hoc est corpus meum*, sed uti aliàs cibum sumpturus conlueverat panem accipere, benedicere, frangere ac distribuere, ita etiam idem hìc observat. Et quoniam hæc consuetudo Christo familiaris & discipulis nota erat, voluit per eam Dominus discipulis se manifestare. Talis igitur effectus nullo modo arguit sacramenti administrationem, nedum evincit. Et quanquam *Becanus* cum suis quibusdam sodalibus satis audacter asserat, hanc panis fractionem fuisse sacramentum, alii tamen ex ipsis Pontificiis etiam recentioribus id pro certo non habent, quin nonnulli prorsus negant. Sufficiat nunc unum atque alterum adduxisse. *Cornelius Jansenus* hunc ipsum exponens locum rectè sic scribit: *Sunt quidam, qui existimant Dominum hìc discipulis his duobus sub specie panis suum porrexisse corpus, quem admodum Apostolis in ultima cœna — ea sententia non est certa, imò nec multum verisimilis. Item: Probabilius esse putamus, Christum modo suis non impertivisse Eucharistiam.* *Erbermannus* Jesuita anatomia Calixtinà, sectione octavâ expressè etiam fatetur, *Fractio nem panis in Emaus fuisse sanctam communionem, non ut omnino certum accipere Catholicos plerosque omnes.*

Concord.  
cap. 146.

2

L. I. Secundò statuunt Pontificiis, tempore Apostolorum quoque usitatam fuisse unam speciem, idque probare conantur ex Actorum II. 42. *Perdurabant autem in doctrina*

*Apo*







*Apostolorum & communicatione & fractione panis ac precibus. Item ex c. XX. 7. Primo autem die hebdomadis coactis discipulis ad frangendum panem Paulus dissebat cum eis. Unde sic argumentantur Pontificii. Lucas utroque loco (sunt verba Becani) agit de pane Eucharistico & nullam facit mentionem calicis. Ergo omnino credibile est, primos illos Christianos, qui ex Iudæis converserant, sub una specie communicasse. Dicit Becanus, credibile id esse, non itaque audet tanquam certum affirmare. videtur ergo imbecillitatem argumenti ipse agnovisse. Nos verò dicimus, id non esse credibile, quia communicatio sub una manifestò pugnat cum Christi institutione, in qua utraque species est præcepta, ut supra ostendimus. Quis igitur credat, primos Christianos præceptum salvatoris aut ignorasse, aut scientes & volentes contra illud egisse. Quod si argumentum Becani valeat, certè simili modo concludere licet: Nempe Luc. XI. 1. Dicitur servator venisse in domum cujusdam Pharisei ad edendum panem & nulla fit mentio potus. Ergo credibile est, in illo convivio saltim comestum fuisse, nullo potu adhibito. Item libro Esther VII. 1. Dicuntur venisse Rex & Haman, ut biberent cum Regina & nulla fit mentio cibi. Ergo credibile est, præter potum ibi nullum appositum fuisse cibum. Quicquid ad hæc responderit Becanus, ipsi responsum esto. Digna sunt hic Legi, quæ doctissimus vir Causabonus exercitatione XVI. n. XXXIIX. hac de re commentatur. *Hebræis frangere panem usitataissima locutio est de cibum sumentibus, & frangere panem cum aliquo est σὺν δαίτην εἶναι. Atque ut Græci à parte à potu nempe, totam actionem appellarunt σὺν τρώγῳν. Sic Hebræi ab esu & fractione panis totum convivium denotant. Quare illi, qui istis Luca testimonii abutuntur ad defensionem communionis sub altera specie, non minus pueri-**



liter errant, quàm si dicerent, in Græcorum convivii nullum fuisse cibum appositum, neque omnino quicquam aliud præter vinum aut alium potum: quia convivium illis dicitur *συνήθιον* *compotatio*.

3

L II. Tertiò prætendunt Papista, posttempora Apostolorum in primitiva ecclesia tam orientali quàm occidentali usitatam fuisse communionem sub una specie & hoc variis argumentis probant. *Primum est*, inquit Becanus, quia Manichæi communicabant olim inter Catholicos (occultat à heresi) sub una specie, ut testatur Leo Papa, sermone quarto de Quadragesima. Et tamen nunquam ab ecclesia propter hanc causam reprehensi aut damnati sunt. Ergo *communio sub una specie non putabatur olim illicita*. Hoc ita confirmo: Augustinus, Epiphanius & alii plures accuratè scripserunt de erroribus Manichæorum. At nemo illorum scripsit, eos errasse, quod sub una specie communicarent. Ergo *communicare sub una specie non censebatur tunc erroneum*.

Manual.  
l. l. c. IX.  
concl. v.  
§ 40.

L III. Ad hæc primò respondemus per instantiam: Augustinus, Epiphanius & alii plures, accuratè scripserunt de erroribus Manichæorum. At nemo illorum scripsit, eos errasse, quod calicem non consecrarent. Ergo in primitivâ ecclesiâ licitum fuit, calicem non consecrare. Consequens est falsum. Antecedens verum. Ergo consequentia nulla sit oportet. Præterea constat ex antiquitate innumeris fermè erroribus totum Christianismum evertentibus Manichæos fuisse addictos, ut *universæ illorum sordes ne integro seculo quidem exponi queant*, quemadmodum loquitur Cyrillus Hierosolymitanus Cath. VI. *Et si quis omnes eorum nugæ vellet persequi, multis libris opus esset*, uti Theodoretus ait. Quid itaque mirum, si non nullos eorum errores sancti Patres præterierint. Sufficit enim,



enim, præcipuas illorum hæreses fuisse notatas & confutatas. Secundo falsissimum esse dicimus, veteres hunc Manichæorum errorem, quòd nimirum calicem bibere recusârint, non attigisse nec reprehendisse. Reprehenderunt sanè Manichæos eo nomine Leo & Gelasius Papæ. *Et quidem Leo* (sunt verba Becani sibi ipsi hæc obiicientis.) *sermon. 4. de quadagesima sic habet: Ore indigno Christi Corpus accipiunt, (Manichæi) sanguinem autem redemptionis nostræ haurire omnino declinant.* Gelasius verò apud Gratianum capite, comperimus, de consecratione distinct. 2. comperimus, inquit: *Quod quidam sumptâ tantummodo corporis sacri portione à calice sacri cruoris abstineant, qui procul dubio, quoniam nescio, quâ superstitione docentur adstringi aut integra sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur, quia divisio unius ejusdemque mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire.* Regerit quidem hic nonnulla Becanus tum ad Leonis tum Gelasii verba, sed cùm ea non sint adeo magni momenti ad ipsam conflictum rejicimus.

LIV. Porro sumunt etiam Pontificii argumentum pro communicatione sub una ex communicatione domesticâ, quæ tempore persecutionis videtur introducta & deinde consuetudine confirmata: Cùm enim tum fideles propter persecutiones frequenter publicè convenire haut possent, Eucharistiam, vel potius partem aliquam ejus domum deferbant, ut si aliquod periculum ipsis immineret, eam in promptu haberent, ejusque privatim usurpandi sibi esset copia. Quam consuetudinem etsi ecclesia aliquantisper toleravit, postea tamen, cùm persecutiones cessarent, severis decretis abrogavit, ut ex Canone XIV. Concilii Toletani, item ex canone tertio Casar Augustani elucet. Ille sic habet: *Si quis acceptam à sacer-*



dote Eucharistiam non sumserit, velut sacrilegus propellatur. Hic verò: Eucharistia gratiam si quis probatur acceptam non consumpsisse in ecclesia, anathema sit in perpetuum. Hinc Tu-  
rantus lib. 2. de libris ecclesiasticis c. 55. Ecclesia consuetudi-  
nem, Eucharistiam domum deferendi seipsumque communi-  
candi, quam persecutio infidelium, oclusio templorum & inopia  
ministerorum olim fecerat, antiquavit. Inde autem perperam  
colligunt Pontificii communicationem sub unâ specie. Nam  
posito, veteres unam tantum speciem domum detulisse & af-  
servasse, minimè tamen inde sequitur, illos communicasse  
1. sub una. Quia 1. publicè utramque speciem sumserant. 2. par-  
2. ticula panis benedicti reservata & post aliquod intervallum  
privatim commesta cum pane & vino publicè acceptis unum  
& integrum sacramentum constituebat, & quasi illius appen-  
dix erat. Sed nondum concedimus Pontificiis, unam saltim  
speciem in primitiva ecclesia domum fuisse delatam. Hiero-  
nymus enim epist. 4. de Exuperio Episcopo Tolofano testatur,  
*cum corpus domini portasse in canistro & sanguinem in vitro.*  
Quin ex ipsis pontificiis Gabriel Albaspinus episcopus Au-  
relianensis idem confirmat Observationum lib. 1. c. 4. Quo  
tandem pacto probare poterunt, Laicis Eucharistiam sub specie  
panis domum portare licuisse, sub vini non licuisse? Sanè Gor-  
gonia a vltima pretiosi corporis & sanguinis recondiderat, teste  
ejus fratre Gregorio Nazianzeno, oratione II. Plura huc faci-  
entia vide in Disp. Georg. Calixt. de comm. sub una §. 139.

L. V. Coeterum quod reliqua argumenta attinet, quæ  
Pontificii à communionem Laicorum, peregrinorum & ex præ-  
sanctificatis petunt, ad ea uti prolixè ita & eruditè respondit  
laudatus Calixtus cit. loc. §§. 134. 141. 145. & seqq. Et cum præter  
alios Pontificios etiam nuper Erbermannus Jesuita anato-  
miâ



miâ Calixtinâ, section. 8. §. 9. fateatur, *De communione, quæ olim dicebatur Laica & peregrina præter conjecturas utriusque nihil haberi, nec catholicos (Pontificios) doctores magnum in eo momentum reposuisse: unde supersedere Calixtum labore potuisse in aggrandis conjecturis vacillantibus; Ideoque etiam nos nunc supersedebimus labore in confutandis iisdem Pontificiorum conjecturis vacillantibus, contenti propriâ ipsorum confessione, quam manifesta ipsis expressit veritas, scilicet, morem generalem extitisse (in antiqua ecclesia) communicandi etiam Laicos sub utraque specie, sicut hodie fit apud Græcos, ut loquitur Alphonsus Salmeron supra §. 47. à nobis adductus. Et quoniam etiam hic mos plus quàm mille annis in solennibus & publicis ecclesiæ coetibus fuit continuatus, meritò ei nos tamdiu in hæremus, donec Pontificii ex verbis institutionis & unanimi primitivæ ecclesiæ consensu aliud nobis demonstraverint, quod sine dubio ad Calendas Græcas præstabunt.*

LVI. Restat, ut sacrificium missæ, quod Pontificii comminiscuntur, examinemus. Omnium autem primò æquivo-  
catio vocis sacrificii explicanda venit. Primò enim sumitur proprie, scilicet, pro actione, quæ ex Dei præcepto & instituto res vivens & animans in honorem divinum occiditur atque Deo offertur. Talia sacrificia in V. Testamento fuerunt victimæ seu hostiæ, & primò quidem holocausta vel quotidiana vel sabbati. Secundò propitiatoria pro peccato. Tertio Pacifica pro beneficiis vel acceptis vel impetrandis. Horum quasi appendices erant immolationes, quæ ex materia aridâ constabant; & libamina, quorum materia erat res liquida. Hæc sacrificia typi & figuræ fuerunt sacrificii Christi, quod itidem proprie dictum, imò perfectissimum est sacrificium, quippe quod est infiniti pretii & fructum quoque habet perpetuum adeoque iterati

*De  
Sacrificio Missæ*



iterari non debet. Et quia ipse **Christus** hoc sacrificium peregit & semetipsum victimam patri obtulit, longè excellentior sacerdos & Pontifex est sacerdotibus Veteris Testamenti. Hinc dicitur sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Hebr. VII. 20. Secundò accipitur sacrificium improprie & metaphoricè. Hac ratione contritio, laudes, preces elemosinæ & quodvis opus bonum in scriptura vocatur sacrificium. Psal. LI. 18. *Sacrifica Deo Spiritus constractus*. Et Hebr. XIII. 15. *Per ipsum (Christum) assidue offeramus Deo sacrificium laudis, id est, fructum labiorum celebrantium nomen ejus*. Et v. 16. *Beneficentiæ verò & communicationis ne obliviscimini: Talibus enim victimis delectatur Deus*. Et Psalm. IV. 6. *Sacrificate sacrificia iustitia*.

L VII. Quod vocabulum missæ concernit, deductum illud est à verbo mitto & significat dimissionem, quia populus finitis sacris dimittitur. Hinc dicebatur olim à Diacono: *Itè missa est*, quasi diceret, jam dimissio est congregationis, jam abire omnibus licet. Erat autem hoc sensu quondam duplex missa. 1. Catechumenorum, quando videlicet Catechumeni & poenitentes, quibus sacris operari quidem licitum erat sed instante communionem exire jubebantur, eaque excludabantur. Ita enim Isidorus lib. VI. Originum cap. XIX. *Missæ tempore sacrificii est, quando Catechumeni foras mittuntur, clamante Levita, si quis Catechumenus remansit exeat foras: Et inde missa, quia sacramentis altaris interesse non possunt, qui nondum regenerati non sunt*. Et canon octogessimus quartus Concilii Carthaginensis quarti dicit, *Episcopus nullum prohibeat ingredi ecclesiam & audire verbum Dei sive gentilem sive hereticum sive Iudæum usque ad Missam catechumenorum*. 2. Missæ fidelium, qui post communionem &

per-



peractis sacris omnibus tandem dimittebantur. Uti Alcuinus lib. de divinis officiis eam describit. *Missâ nihil aliud, inquit, intelligitur, quàm dimissio, id est, absolutio, quam celebratis omnibus tunc Diaconus esse pronunciat, quum populus à solenni observatione dimittitur.* Deinde sumitur *missâ pro ipsa sacrorum celebratione, quæ dimissionem antecedit, & quidem primo pro ea divini officii parte, quæ durat usque ad communionem, & hæc quoque dicitur missâ catechumenorum.* Secundo pro reliqua divini cultus parte, quæ à communionem durat usque ad finem, & hæc itidem missâ fidelium appellatur. Tandem accipitur missâ pro tota divini officii celebratione atque missam tum Catechumenorum tum fidelium simul comprehendit. Hoc sensu loquitur Augustina confessio sub initium articuli tertii de abusibus mutatis: *Falso accusantur ecclesia nostra, quòd missam aboleant. Retinetur enim missa apud nos, & summâ reverentiâ celebratur.* Item *Apologia* ejusdem articuli. *Initio hoc iterum præfundum est, nos non abolere missam sed religiosè retinere ac defendere. Fiunt enim apud nos singulis dominicis & aliis festis, in quibus porrigitur sacramentum his, qui uti volunt, postquam sunt explorati atque absoluti. Et servantur usitata & ceremonia publicæ, ordo lectionum, orationum, vestitus, & alia similia.*

LVIII. Habet autem missa in plerisque nostris ecclesiis præcipuè has partes. 1. Initium fit ab introitu, cantantur *κρίσε ἐλέησον.* Gloria in excelsis & in terra pax. 2. Sequitur salutatatio Presbyteri, *Dominus vobiscum,* & responsio chori populi: *Et cum spiritu tuo.* 3. Subjicitur collecta, id est, preces de tempore aut festo. 4. Lectio epistolæ, quam sequitur aliquod canticum. 5. Lectio Evangelii, cui subjungitur Symbolum. 6. Homilia seu concio ad populum. 7. Post con-



concionem præmissâ confessione & absolutione fiunt preces  
 & gratiarum actiones. 8. Finitis precibus iterum canitur &  
 communicaturi interea in chorum progrediuntur atque in  
 genua procumbunt. 9. Sequitur exhortatio, quâ admonen-  
 tur communicaturi, ut mortis & passionis Domini seriò recor-  
 dentur, pro tantis beneficiis humiliter Deo gratias agant sibi-  
 que caveant; ne indignè edant ac bibant. 10. Subjungitur o-  
 ratio Dominica, & post eam historia & verba institutionis.  
 II. Sequitur Eucharistiæ distributio & canuntur hymni.  
 12. Peractâ communionem iterum recitatur collecta, quâ  
 aguntur Deo gratiæ, quòd nos hoc salutari cibo refecerit,  
 atque oratur, ut nobis proficere faciat ad fidei conservatio-  
 nem & mutuæ charitatis incrementum. 13. Tandem additur  
 solennis sacerdotis benedictio, & sic populus dimittitur.

L I X. Quum itaque quaritur, utrum missa hoc est,  
 sanctæ Eucharistiæ celebratio, ( hæc enim præcipuè missæ no-  
 mine venit) rectè dicatur sacrificium? Respondemus, si sa-  
crificium impropriè sumatur, nemo ex nostratibus negat,  
 missam dici posse sacrificium. 1. Quia sacrificia Veteris Te-  
 stamenti & Eucharistia sine conveniunt, qui est cultum & ob-  
 sequium Deo præstare sive agere, quod Deo gratum & ac-  
 ceptum sit, ut ipsi sanctæ societate inhereamus, quemadmo-  
 dum S. Augustinus loquitur lib. X. de Civitate Dei cap. VI. 2.  
 Quia in missa præsens est materiale sacrificii propriè ita dicti &  
 in cruce oblatis, nimirum Corpus Christi in mortem traditum  
 & sanguis ejus in remissionem peccatorum effusus. 3. Quia  
 ibidè mors Domini, quando videlicet corpus ejus cum fracto  
 & benedicto pane comeditur, & sanguis è calice funditur, ad  
 excitandam efficacem & seriam ejus mortis recordationem  
 commemoratur & quasi repræsentatur juxta ipsius Christi  
 man-





mandatum: *Hoc facite in mei commemorationem.* Hinc Eucharistia vocatur sacrificium memorativum. 4. Quia in Eucharistiae celebratione Deo Patri Christum ejusque mortem offerimus, quod fit per preces, cum nimirum Deum per Christi mortem & meritum obtestamur & precamur. Quemadmodum ipse Christus in coelis semetipsum suamque mortem Deo offert, dum in conspectu Dei comparet & pro nobis interpellat ad Hebr. IX. 24. & Rom. IIX. 34. 5. Quia quando hoc sacrificium memorativum in vera fide peragitur, non solum fructus mortis Domini sumentes fiunt participes, verum etiam eorum preces per sanguinem Christi tum presentissimum pro omnibus hominibus quam presentibus quam absentibus sua effectum suum, quem quidem habere & obtinere illae possunt, sortiuntur aequae, ac si in eo ipso momento Corpus Christi in mortem traderetur, & sanguis ejus effunderetur. Sed haec omnes sunt impropriae sacrificii acceptiones. Quod si verò proprie capiatur sacrificium atque secundum formalem rationem, quam in eo consistere supra diximus. ut res animata, quae Deo offertur, destruat & occidatur, consideretur, negamus, Missam esse sacrificium contra Pontificios, qui statuunt in Eucharistia esse sacrificium propria dictum, quod cum sacrificio in cruce peracto specie conveniat, quodque vim habeat praecipue ex opere operato impetrandi aliis donum poenitentiae, ut loquitur Bellarminus lib. II. de Missa cap. IV. Item remissionem peccatorum, quoad poenam temporalem, ut Becanus habet Theologia Scholastica de sacramentis in sessione VI. sub Pio IV. de Missa, in ordine verò XXII. cap. II. Vna eademque est hostia idemque nunc offerens sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in cruce obtulit sola offerendi ratione



diversa. Cujus quidem oblationis (cruentæ inquam) fructus per hanc incruentam uberimè percipiuntur. Tantum abest, ut illi per hanc quo vis modo dorogetur. Quare non solum pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus & aliis necessitatibus, sed & pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis ritè juxta Apostolorum traditionem offertur. Deinde subjiciuntur hæc anathemata: Can. 1. Si quis dixerit, in Missa non offerri Deo verum & proprium sacrificium, aut quod offerri non sit aliud quam nobis Christum ad manducandum dari, anathema sit. Can. 2. Si quis dixerit, illis verbis: hoc facite in mei commemoracionem, Christum non instituisse Apostolos sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsalique sacerdotes offerrent corpus & sanguinem suum anathema sit. Canon 3. Si quis dixerit, Missæ sacrificium tantum esse laudis & gratiarum actionis aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium vel soli prodesse sumenti: neque pro vivis & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus & aliis necessitatibus offerri debere anathema sit.

L. X. Jam si ex Pontificiis quæras, quidnam sit sacrificium propriè dictum, respondet Bellarminus lib. 1. de Missa c. 2. Sacrificium est oblatio externa facta soli Deo, quâ ad agnitionem humanam in firmitatis & professionè divinam majestatis à legitimo ministro res aliqua sensibilis & permanens ritu mystico consecratur & transmutatur. Item, Becanus Theol. Scholast. de Sacramentis in specie c. XXV. quæst. II. num. II. Sacrificium est oblatio rei sensibilis à legitimo ministro soli Deo facta per realem mutationem ad testandum supremum illius dominium & nostram subjectionè. Uterq. autem in definitionis explicatione concedit, ad sacrificium propriè dictum requiri talem rei sensibilis & permanentis mutationè, qua ipsa substantia rei oblatae de-



te destruat & consumatur. Et quidē Bellarminus loc. cit. ait  
*Ad verum sacrificium requiritur, ut id, quod offertur Deo in  
 sacrificium, planē destruat, id est, ita mutetur, ut desinat esse,  
 quod ante erat.* Et paulo post. *Summa ista protestatio requirit,  
 ut non solum usus rei Deo offeratur, sed ipsa etiam substantia con-  
 sumatur.* Item, paulō superius in refutatione definitionis Cal-  
 vini: *Omnia omnino, quæ in scriptura dicuntur sacrificia, neces-  
 sario destruenda erant, si viventia; per occisionem; si in anima so-  
 lida, ut, simila sal, & thus, per combustionem; si liquida, ut san-  
 guis vinū & aqua, per effusionem.* Idem confirmat Becanus loc.  
 cit. num 8. *Ex parte formæ (ad sacrificium) requiritur, ut res  
 illa sensibilis, quæ in sacrificio offertur, perimatur aut mutetur,  
 ut patet ex sacrificiis legis naturæ & veteris, quæ non fiebant so-  
 la oblatione aut elevatione ad altare, sed rei destructione facta  
 ad honorem ipsius Dei. Quædam enim per occisionem sacrificia-  
 bantur, ut viventia; quædam per combustionem, ut carnes ani-  
 malium occisorum & res in anima solida, ut simila & thus; quæ-  
 dam per effusionem, ut, sanguis, vinum, aqua.* Ex hisce sacri-  
 ficii definitionibus earundemque explanationibus cum B. Ca-  
 lixto sic argumentamur: Quæcunque res animata sacrificia-  
tur, occisione destruitur: At Christi Corpus utique animatum  
 non destruitur occisione. Ergo Christi corpus non sacrificia-  
 tur in Eucharistia. Minor est extra controversiam. Maiorem  
 negare non possunt Bellarminus & Becanus, quippe quæ pro-  
 priis ipsorum verbis nititur. 2. Argumentamur cum lauda-  
 to Autore: Quod sacrificium repeti debet, id imperfectum est  
 & sacerdotem imperfectum arguit. At sacrificium Christi  
 nec imperfectum est, nec ab imperfecto sacerdote oblatum  
 fuit. Ergo repeti non debet, & per consequens in missa sive Eu-  
charistia celebratione nullum datur sacrificium propriè di-  
ctum

Epitom.  
Theol. de  
euchar.  
*Argum.*

*Argum.*



atum & quod formaliter idem sit cum sacrificio Christi in cruce oblato. Major probatur ex epist. Hebr. cap. VII. 26. 27. Talis enim nos decebat Pontifex, cui non sit quotidie necesse offerre — Hoc enim fecit semel cum se ipsum obtulit Item, cap. IX. 25. & seqq. Neque ut saepe offerat semet ipsum sicut Pontifex ingreditur in sacrarium quotannis cum sanguine alieno (alioquin oportuisset eum saepe passum esse à jacto mundi fundamento) Sed nunc semel in consummatione seculorum ad peccatum per immolationem sui ipsius abolendum patefactus est. Et sicut illud statutum est hominibus ut semel moriantur, postea verò iudicium: Ita & Christus semel oblatus, ut in se ipso attoleret multorum peccata & cap. X. 11. 12. & 14. Omnis igitur sacerdos aliat quotidie sacris operans & easdem saepius offerens hostias, qua nunquam possent auferre peccata: Hic verò una pro peccatis oblata in perpetuum victima consedit ad dextram Dei — Vnicà enim oblatione consecravit in perpetuum eos, qui sanctificantur.

L X I. Sed dispiciemus nunc, quomodo Pontificii definitionem sacrificii proprie dicti Eucharistiæ celebrationi applicent, atque anathematismos Tridentinos defensum eant. Bellarminus lib. I. de missa cap. XXV. ad argumentum ab occisione hostiæ petatum, quod nos supra primo loco adduximus, respondet: Sacrificium Missæ esse verissimum sacrificium & tamen non exigere veram hostiæ occisionem. Item, in Missa offertur quidem inquit Christus, qui est res vivens & offertur in forma rei viventis, quantum ad representationem, ubi solum requiritur mors representata, non autem mors reipsa. Sed ut est sacrificiū reale & proprie dictū offertur in forma panis & vini juxta ordinem Melchisedech, & proinde in forma rei inanimæ. Beccanus Theol. schol. de Sacrament. in spec. cap. XXV. part. I. quæst. V. n. 7. Concl. 3. Christus existens ait, sub specie-

speciebus panis est res oblata in hoc sacrificio, non quidem proprie, ut materia, qua actioni sacrificandi supponitur, sed ut terminus sacrificiationis. Et n. 9. conclus. 5. Panis & vinum offeruntur in hoc sacrificio tamquam materia, ex qua sacrificium conficitur. Si autem quæras, in quonam consistat essentia hujus sacrificii ex parte actionis seu formæ? Respondet Bellarminus l. i. de missâ c. XXVII. eam proprie consistere in duabus actionibus, nempe in consecratione & in consumptione sacramenti à parte sacerdotis, quâ realiter victima oblata destruat. Becanus verò l. c. quæst. VI. dissentit & formam hujus sacrificii constituit in solâ consecratione utriusque speciei prout continet realem conversionem panis & vini in corpus & sanguinem Christi & quatenus simul est representativa mortis & passionis Christi. Quæ ut rectius intelligantur, sciendum est juxta communem pontificiorum doctrinam sacrificium missæ essentialiter differre à sacramento Eucharistiæ & quidem i. quia essentia sacrificii partim consistit in actione sacrificandi, partim in victimâ sacrificatâ & oblatâ. At essentia sacramenti eucharistiæ nullo modo consistit in actione sed in solâ permanente, quæ resultat ex actione. 2. Essentia sacrificii missæ requirit consecrationem utriusque speciei ad representandam mortem & passionem Christi. At essentia sacramenti salvatur sub una etiam specie 3. sacrificium per se & immediatè ad cultum Dei ordinatur: sacramentum ad nostram justificationem. videatur Becan. loc. cit. quæst. IIX. n. 2.

LXII. Hisce præmissis Respondemus i. verba Bellarmini cùm ait, sacrificium missæ verissimum esse sacrificium & tamen non exigere veram hostia occasionem, cum iis, quæ in definitione sacrificii ab ipso dicta & supra à nobis adducta sunt, aperta fronte pugnare; expressè enim ibi fatetur r. i. v. n. i. a. s. i. o. f. g. n. i. f. i. c. a. t.



ferantur, destruenda esse per occisionem. Cum itaque Christi corpus in missâ per occisionem non destruat, manifestò inde sequitur, illius in missâ oblationem non esse propriè sacrificium. Nam cui definitio sacrificii propriè dicti non competit, ei nec definitum competere potest. Hinc Bellarminus tandem concedit, in missâ offerri quidem Christum, qui est res vivens & offerri in forma viventis, quantum ad representationem, ubi solum requiratur mors representata non mors re ipsa. Idem largitur Becanus, cum dicit, Christum existentem sub speciebus sacramentalibus esse rem oblatam in hoc sacrificio non quidem propriè ut materiam, quæ actionis sacrificandi supponatur, sed ut terminum sacrificacionis. Item, formam hujus sacramenti esse consecrationem prout contineat conversionem panis & vini & quod simul representativa sit mortis & sanguinis Christi. Jam verò representativum sacrificium respectu illius, cujus est representativum, non est verum & proprium sacrificium, quemadmodum prælium representativum non est ipsum prælium sed saltem memoria & imago prælii. Item quod non est propriè materia sacrificii sed illius terminus, id non offertur, non sacrificatur propriè, uti calor, qui est terminus calefactionis sicut non est subiectum seu materia calefactionis, ita nec est id, quod calefit. Quomodo itaque hæc duo sc. ad sacrificium propriè dictum requiri occisionem rei viventis, ut Bell. & Becan. admittunt, & in missâ, quando offertur corpus & sanguis Christi sine ullâ viventis occisione, offerri nihilominus verum & proprium sacrificium, conciliari possint, ipsi pontificii discipiant. Secundò respondemus, oblationes rerum inanimatarum in V. T. propriè non fuisse sacrificia, sed tantùm oblationes & sacrificiorum appendices, quod vel inde constat, quia vocabulum Hebræum קרבן quod propriè sacrificium signi-  
gni-



gnificat non nisi animantium immolationibus tribuitur ; oblatio vero rei inanimatæ nunquã זבח *sacrificium* sed מייצה *oblatio* seu *donum* vocatur. Posito autem sed non concessio, oblationem rei inanimatæ quoque esse sacrificium, ne sicut tamen Pontificii aliquid obtinent. Nam qui cum Becano statuerunt, essentiam seu rationem formalem sacrificii Missæ consistere in sola consecratione, prout cõtinet realem cõversionem panis & vini, quæ fit per transubstantiationem, illi principium petunt, & dubium per æque dubium probant. Utrumq; enim, scilicet, & transubstantiatio & Sacrificium Missæ propriè dictum est figmentum Pontificium omni fundamento destitutum. Negatã igitur transubstantiatione, consecratio non est realis mutatio ac proinde in illa nulla fit panis & vini destructio, quam ad veram oblationem etiam Pontificii requirunt. Quod Bellarmini sententiam attinet, ea Becani opinione tolerabilior est, quippe quæ realem panis & vini destructionem non in transubstantiatione, ut Becanus, sed in consecratorum symbolorum panis & vini consumptione à parte sacerdotis collocat, in eo tamen ipse fallit & fallitur, quòd sacrificium aliquod propriè dictum in consecratione & consumptione illã constituit. Tale enim sacrificium à Christo institutum esse neque ex Scriptura neque ex prisca Ecclesiæ testimonio probari potest. Nam argumentum, quod pontificii à similitudine petunt, quando sicut Melchisedecus Abrahamo ex prælio revertenti panem & vinum obtulit, ita etiam Christum sacrificium corporis & sanguinis sui sub speciebus panis & vini instituisse ajunt, nullius est momenti. Primò enim incertum adhuc est, utrum Melchisedecus panem & vinum proferendo sacrificaverit ; Sane Auctor Epist. ad Hebræ c. VII. ubi accuratè analogiam sacrificii Christi & Melchisedeci explicat, illam similitudinem ne



verbo quidem attingit, sed nonnulli duntaxat Patres eam ex Genes. XIV colligunt atque similitudinibus in iam citata epistola expressis addunt. Nemo autem ex illis propterea Eucharistiam sacrificium propriè dictum esse statuit, sed quando eam sacrificium vocant, non de sacrificio in cruce semel oblato, sed vel de memoriâ eius vel gratiarû actione & precibus ac hymnis, cum quibus communicantes sacrosanctum corpus & sanguinem percipiunt, propriè loquuntur, ut dudum nostrates propriis S. Patrum verbis id ostenderunt. Secundò apertè falsum est, Christum in ultima coena panem & vinum Deo obrulisse: Historia enim institutionis, ex qua unicè quid Eucharistia sit, discendum est, non id, sed hoc expressè docet, Christum discipulis suis panem comedendum & vinum bibendum dedisse. Neque ex eo, quod hæc ipsa consecravit, colligi potest, eum corpus & sanguinem Deo obrulisse; nam id factum est in cruce, non in Eucharistia, atque semel, ut iterari nec possit nec debeat, uti ex Epist. ad Ebraeos patet. *Quantum igitur abest,*

*Exercit. 1.  
da sacrific.  
Christi se-  
mel in  
cruce o-  
blato. n. 50*

*sunt verba Calixti, ut fractio panis & effusio vini, aut ipsa etiam mystica sumptio corporis & sanguinis Domini sit verus cruciatus, vera mors Domini, aut separatio sive anime sive sanguinis à corpore Dominico, tantum quoque abest, ut sacrificium in Eucharistia sit veri proprièque strictique nominis sacrificium: aut ut sacrificium hoc memorativum & sacrificium in cruce oblatum in aliquâ verâ formâ sacrificii propriè dicti ratione univocè convenient; & non potius illud ab isto, ut imago à prototypo, non nisi extrinsecè denominetur.*

LXIII. Cùm itaque Missâ, ut hætenus demonstravimus, verum & propriè dictum sacrificium non sit, nec a Deo institutum, sequitur, essentialem inter sacramentum & sacrificium differentiam, quam pontificii tradunt, esse nullam: Quemadmodum enim ens & non ens differunt, ita etiam sa-  
cra-





cramentum eucharistia & hoc, quod fingunt, sacrificium proprie dictum: si verò per sacrificium intelligas publicam & solennem mortis Dominicæ commemorationem, sanè juxta Christi institutionem consecratio, communicatio corporis & sanguinis Christi & jam dicta commemoratio non sejungit sed simul peragi debent: *Hoc facite*, inquit Christus, (scilicet cum panem benedictum comeditis & sanguinem benedictum bibitis) *in mei commemorationem*. Et Paulus: *Quotiescunque de hoc pane ederitis, & de hoc poculo biberitis, mortem Domini annunciate donec venerit*. 2. *Missam ex opere operato omnino nullam habere vim*, Deum tam vivis quam mortuis, pro quibus offertur, placandi ac propitiandi aut peccata tollendi: Ratio est in promptu; quia sacrificium missæ Pontificium à Deo non est institutum. Et hoc tam diu certum est, donec Pontificii contrarium probent, quod hæcenus nondum præstiterunt. Quicquid autem à Deo institutum non est, illud ex opere operato nullam habere virtutem divina beneficia conferendi tam clarum est, uti sol, cum in medio meridie lucet.

LXIV. Subruto hoc Pontificio Missæ Sacrificio *Missæ solitariae* ei superstructæ, in quibus solus Sacerdos Sacramentum conficiens communicat, subsistere haut possunt. His autem nunc nihil opponimus nisi Pontificios quosdam scriptores, qui illas ipsas Missas ut institutioni divinæ & veteris Ecclesiæ praxi contravenientes nobiscum rejiciunt. Hi sunt Joh. Hoffmeisterus, Georgius Cassander, Georgius Wicelius & alii. Ultimi verba in viâ Regiâ ad art. de miss. ita habent: *Particulares Missæ non congruunt cum institutione cœnæ nec cum traditione Paulina, nec merentur Liturgiæ nomen nec habent robur ex Evangelio nec ex Ecclesiæ testimonium aut exemplum, nec sanctorum Patrum (de antiquis loquor) consensionem firmam, nec beatorum martyrum aut homolegetarum adstipula-*  
iio-



tionem, nec denique œcumenicorum conciliorum veterum approbationem ullam: sed nuperis seculis adinvenit his vana hominum superstitio & hypocrisis, ignorantia & Φιλαρρησία. Meritò igitur Ecclesia nostrâ ejusmodi Missas faciunt missas.

### Corollarium.

**F**ecimus supra §. XXXIV. mentionem Gelasii Cyziceni eique Baronium & Bellarminum cum primis secuti tribuimus librum de duabus naturis in Christo contra Eutychem & Nestorium, qui in Bibliotheca patrum sub nomine Gelasii Episcopi Romani extat. Postea cum theses maximam partem typis exscriptæ essent, animadvertimus, Dionysium Petavium Jesuitam l. I. de incarnatione Verbi c. XIV. §. V. laudatum librum Gelasii Cyziceno abjudicare & Gelasio Pontifici Romano adscribere. Digna sunt ejus verba hic legi. *Præclare omnino, ait, de hoc Eutychem incepto ac secum pugnante delirio Gelasius, non ille Cyzicenus, ut viri docti (Baronius & Bellarminus) crediderunt, futilis & ineptus scriptor, sed qui Episcopus Romanus inscribitur & à Fulgentio, qui Gelasii Papæ tempore vixit, eo nomine citatur, Latinus auctor & elegans.* Confer. libr. III. de incarnatione c. II. §. II. ubi Petavius idem pluribus inclulcat. Ex his patet, Bellarminum immeritò in nos invehit, quando l. II. de Euchar. c. XXVII. responso suo ad verba Gelasii hæc subjicit: *Vbi obiter est notandum, Gelasium ipsum non fuisse Romanum Pontificem, ut Adversarii impudenter jactant. Nam Chemnitius 2. part. Examinis Trident. Concil. sess. 13. c. 4. mirabiliter triumphat ex hoc testimonio tanquam Romani Pontificis* Cum itaque B. Chemnitio nunc subscribat Doctissimus Petavius meritò triumphamus ex hoc testimonio tanquam Romani Pontificis, ut qui optimè interpretatur, qualem mutationem symbolorum primitiva Ecclesia intellexerit. Et quamvis dicat, panem & vinum Sp. S. operante transire in divinam substantiam, illum tamen non nisi accidentalem hic intelligere symbolorum mutationem expressa ejus testantur verba, quibus asserit, symbola permanere in sua proprietate naturæ, item, non desinere substantiam vel naturam panis & vini. Hæc enim transubstantionem prorsus sufflamant.

### Errata.

*Disput. I. de sacram. in genere §. 7. lin. 6. lege enim. de baptisim. §. 3. p. 7. lin. 2. lege Ioh. III. §. 6. lin. 4. baptizabimini. §. 21. lin. penult. lege concupiscentiam pravam ita pugnare. disp. II. de eucharist. §. 2. lin. 10. & 11. lege memoria. §. 4. lin. 9. Contrâ. §. 9. lin. 6. fütnehme. lin. 23. leg. substantiale. §. 25. lin. 6. Vltimæ p. 23. lin. 6. lege merito sanguine ejus parto. disp. III. §. 30. lin. 5. lege transubstantiatio §. 44. lin. 8. sententiam. p. 54. lin. 24. hominis.*

F I N I S.

99 A 6948

ULB Halle

3


002 840 022



Ruha

Vb 17







*Disputationes Theologicae*  
*DE*  
**SACRAMENTIS**  
in genere, & in specie de Ba-  
ptismo & Eucharistia,

T R E S

*In Academia Hasso-Schaumburgica publica*  
*disquisitioni exposita,*

AUCTORE & PRÆSIDE

**HENRICO MARTINO**  
**ECCARDO**

SS. Theolog. Doctore & Professore  
Ordinario.



RINTELII, Typis Viduae Lucianae.  
c1o 1o c LX.